BALDESSARIS CASTILIONII DE AVLICO, IOANNE RICIO ANNOBERENSI INTERPRETE, LIBER PRIMVS.



Gratia & Priuilegio Cæsareo.

ARGENTORATI,
Excudebat Bernhardus Iobinus. Anno
M D LXXVII.

AD POTENTISSIMVM, ET INVICTISSImum Imperatorē Rodolphum II. semper Augustū, Germaniæ, Vngariæ, & Boëmiæ Regem, Archiducem Austrię, & Ducem Burgundię Ioannis Ricij Annoberensis in vniuersum opus Præfatio.

Magnam semper dignitatem Rodolphe Cæsar habuit sapiētibus sententijs & verbis grauibus ornata oratio, Nam, cùm hoc vno potißimū anteeamus feris, quòd loqui, & exprimere dicendo sensa possumus, qui, quo cæteris animantibus homines præstant, eo hominibus ipsis antecelluit, facilè ille omni tempore incredibilem sui admirationem excitauit. Ac, quoniam orationis vis est duplex vna contentionis, sermo-

nis altera , in utraque excolenda cùm Græcia omnis, tum in primis illæ cunctarum artium inuentrices Athenæ initiò elaborarūt. nō solū .n. dictionis forēsibus in disceptatiōibus versantis studia in illa ciuitate viguerunt, sed etiam reliqua eius genera, maximequé æquabile hoc, lene, suaue & pressum in sermonibus, qui dialogi vocantur, diffusum in eadem illa illustratum, & perfectum est. Extititq́ è schola Socratis, & quasi clarißimum lumen apparuit ille longè omnium, qui vnquam Græcè scripserunt, copia, & grauitate dicendi princeps Plato, qui etsi oratorijs ornamentis interdum, & neruis redundat, tamen magna ex parte ita de rebus disserit, vt dialogos se scribere, nō in foro causas dicere recordetur. Multique diuini hominis commoti gloria in idem componendorum dialogorum studiū

si non pari laude, non dispari saltem conatu diu incubuerunt. Sed, cùm ea tempora incidissent, quibus ad dicendi studia Græci pristinis nec honoribus incenderentur, nec præmijs, diligentia in scribendo omnis, omnis scribendi laus ab his ad Romanos translata est. Floruitque vir ille summus M. T. Cicero, qui non modò iudicialibus in concertationibus cunctis Græcis oratoribus, verùm etiam in dialogis Platoni omni eloquentiæ laude se æquauit, inprimisquè in his, quibus ad Q. fratrem scribens perfectum oratorē informauit. Verùm, quod antè acciderat Græcis, cùm imperij splendore amisso varias calamitates accepissent., idem pòst extincto senatu, cùm vnius dominantis arbitrio regerentur, euenit Romanis, ut omnis eorum industria facilè languesceret, in studioq; formādæ, & poliendæ omne ge-

nus orationis minus, quàm superiori tem pore fecerāt, ipsi euigilarēt. Qua de causa viri literatissimi prodiderunt, summam temperatæ huius scriptionis laudem penes Platonem, & Ciceronem fuisse. Sed exorti sunt in Italia longissimo pòst interuallo homines quidam præstanti ingenio, & doctrina præditi, qui rei dulcedine capti, & moti pulchritudine latinam scribendorum dialogorum rationem veterē consectari gloriosum duxerint, eiusquè vsum post Ciceronis necem diu intermissum nostro seculo reuocarint Alcyonius, Bembus, Sadoletus. Etenim, quod literis Latinis hi effecerūt, ut ex ornatissimis illius dialogis similitudinē duxerint laudabilem, idem an lingua vernacula popularis eorum Baldessar Castilionius posset assequi quatuor suis de aulico libris periclitatus est. Idquè ita homini successit,

sit, ut non modò docti, & elegantis, sed etiam iucundi, & festiui dialogorum scriptoris laudem intelligẽtium existimatorum omnium assensu sit, atque approbatione adeptus. Nec id mirum cuiquam debet uideri, quandoquidem lingua Italica hodiè sic exculta est, ac perpolita, sic uocibus, elocutionibusq́; elegantibus ditata, splendoreqúe illustrata, & lepore condita, nulli ut penè alij rem quancunq; dictione explicandi cedat facultate. Cui rei clarißimo testimonio est, quòd librorum, qui de omnis generis rebus eruditè, & ornatè illa scripti extant, numerus tũ Græcorum, tum Latinorũ librorum numerum Italicis in bibliothecis penè adæquarit. Quemadmodùm itaque M. Cicero de rebus, quibus perfectus orator euaderet, quamuis ipse earum author esset, Antonium, & Crassum summos in re-

publica Romana viros induxit, loquentes, ita Castilionius etiam illum imitatus res suo iudicio perfecto futuro aulico necessarias ab aliorum authoritate repetiuit, quib. illo tempore eruditionis, & iudicij palmam facile Italia dedit, vt, quantò maior existimatio eorum esset, ac dignitas, tantò plus authoritatis haberet, quæ scriberet, simulquè eximia talium hominum, singularisquè virtus immortalitati his propagaretur. Nam, cum Guidus Vbaldus Vrbini Dux, ingenij, et doctrinæ laudem haberet præter cæteros, id in primis operam illum dedisse Castilionius narrat, vt domum suam hominibus repleret, qui nobilitate, & virtute longè cæteris præstarent. Eorumquè in numero fuisse Octauiaum Fregosium cum Federico fratre, Iulianum Medicem, Petrum Bembum, Cæsarem Gonzagam,

Gasparem

Gasparem Palauicinum, Comitem Ludouicum Canossam, Bernardum Bibienam, Nicolaum Phrigium, multosque item alios, qui cuncti dein magnos ad honores ascenderunt, quotquot uitæ naufragium non fecerunt antè, quàm eum portum tenere potuerunt. Atque hos ad Guidi coniugem Elisabetham Gonzagam lectissimam, in omnique genere virtutũ excellentissimam fœminam mox à cœna, quod podagræ doloribus ille ardens quotidie id temporis se tradiderit quieti, cunctos commemorat confluere, ibique cõsidere, & plenos suauitatis, plenos liberalium facetiarum sermones inter se varijs de rebus habere fuisse solitos. Anno igitur M. D. VI. cùm Pontifex Iulius II Bononia recepta Vrbinum aduenisset, postridieque, quàm is Romam illinc esset profectus, cuncti homines nobiles ad Eli

ſabethã ſe veſperi collegiſſent, &, quodnam ad colloquendum ſumerent argumẽtum ſinguli cœpti fuiſſent ſententiam rogari ſuam, Federicum Fregoſium (qui poſtea Põtifex eſt factus Salernitanus) ſermonem quendam intuliſſe, quo aſſeuerarit, qui res ad perfectum aulicum fingendum pertinentes ſcirent iudicare, quiqúe, ut aulici dicerentur boni, ipſi mererentur, difficiliter in omni Italia homines nobiles poſſe reperiri tot, quot adeſſent præſentes, proptereaqúe uiſum illi fuiſſe faciendum, vt cuipiam ex his onus imponeretur aulicum talem informandi, enunciandiqúe omnia, quæ in homine requireret, &, ſiqua parum aptè requirere videretur, parumqúe congruentur, contra ea liberè dicendi cæteris eſſet poteſtas. Idqúe cùm omnibus placuiſſet, Comiti Ludouico Canoſſæ (qui exin pontificatum

tificatum est Baionensem adeptus) istas datas fuisse partes, cumqúe hic omnia ex-prompsisset, quæ, vt perfectus esset, in illo inesse oporteret, ab eoqúe in plerisque alij dissensissent, res ab ipso prolatas in medium varijs agitatas fuisse disputationibus, ut plus iucũditatis sermo haberet, & delectationis. Quibus disputationibus vespera prima (nam vesperis quatuor viri clarissimi quos aiebam, & præstantissimi de omni ratione qua perfectus aulicus existeret, disseruerunt) consumpta est, eæq; primo huic sunt libro mandatæ. Postridiè, cùm iterum à cœna ad Elisabetham esset ventum, quo modo, qua ratione, & quo tempore aulicus rebus, quibus à Comite fuerat instructus, vti deberet, Federicus Fregosius copiosè exposuit, quòd, vt id faceret, pridie vesperi placuerat. Ac, quoniam hic voluit benè

aulicum

aulicum loquentem (quod quomodò face
ret, inter alia à Comite didicerat) certa
quadam suauitate perfundere, facetijs-
qúe delectare audientes nunquam fasti-
dium afferendo, aut satietatem, postula-
tum ab eo fuit, vt, quomodò facetijs vti
oporteret, ostẽderet, ad artẽqúe quãdã re
uocaret omnẽ varietatem iucundè loquẽ-
di, qua quis inducere auscultantes posset
scitè, atque venustè, toti vt læticia effer-
rentur, & riderent, siquidem hoc facere
posse, magni referret, admodumqúe auli
cum deceret. Sed, cùm ipse, quæ de rerũ
aliarum huic conuenientium vsu probo
iam attulerat, dixisset diffusius, propte-
reaqúe par visum esset, vt fandi labore
paulùm leuatus quiesceret, relaxaretqúe
animum, Bernardo Bibienæ (qui postea
in collegium summorum antistitum est
coaptatus) vt de facetiarum vsurpatio-
ne

ne decora verba faceret, prouincia fuit data, quòd non modò multò facetissimus esset, sed etiam de facetijs ipsis aliquid scripturum se promisisset, atque ideò idoneus visus esset, qui de his loquens perfectissimè omnibus, cumulatissimeqúe posset satisfacere. Is itaque, postquam ad duo illa facetiarum genera, quorum alterum in omni sermone æquabiliter fusum, inqúe narrando aliquid venustè positum cauillationem, alterum peracutum, & breue in iaciendo ridiculo consistens, dicacitatem Latini vocant, addidisset genus tertium, eiqúe ab animo amico proficiscentis, & rebus cum nulla, vel cum leui coniunctis offensione per iocum aliquem fallentis imposuisset nomē ludificationis, præcepit inter alia videndum esse, ne fœminarum ipso læderetur honestas. Verū duo mulieribus parum beneuoli, Gaspar Palauicinus,

Palauicinus, & Octauianus Fregosius (quorum hic Dux Genuēsium postea factus, ille, cùm integerrima ætate, & spe honorum maximè floreret, vi immaturæ mortis consumptus est) à Bibiena dissidentes, non placere sibi, ostenderunt, vt viri ad fœminarum honestatem ludificando haberent respectum, quòd, si haberent, risus ijs illudendo moueri non posset, siquidem re duntaxat, quæ dedeceret, hic concitaretur, res autem, præter impudicitiam, in ipsas dedeceret nulla.

Nam, cùm nihil, aut parum mulieres, si viris compararentur, haberent dignitatis, in eas etiam, vt quicquam sua spōte cum virtute facerent, non caderet, verecundia ipsas, & metu infamiæ cóérceri oportuisse inuitas, vt pudicitiam colerent, à vinculis virtutum reliquarum ijsdem ipsis laxatis quasi potestatem fuisse

se

se permissam semper eius, quod facere deberent, faciendi cōtrarium sine macula. A qua calūnia Bibiena, et Iulianus Medices (qui dein Dux Nemurensis fuit) fœminas vindicantes virtute, & dignitate eas nihil affirmarunt viris cedere, planumqúe hoc fore asseuerarunt, si quispiam tanto ingenio, et eloquentia pollēs fœminam aulicam rebus cunctis muliebrem decentibus sexum perfectam nunc informaret, quanto Comes, & Federicus præditi marem in aula viuentem rebus omnibus sexui aptis virili perfectum antè informassent. Quod cùm fieri Elisabetha planè vellet, vt Iulianus ipse id faceret, desiderauit. Atque hāc sermonis partem libro Castilionius tradidit secundo. Tertia vespera Elisabetha Iuliano institit, vt, qualem erat iussus, fœminam aulicam fingeret.

Sed

Sed Nicolaus Phrigius perinde, vt Gaſpar Palauicinus, & Octauianus Fregoſius, mulieribus inimicior alienum à propoſito eſſe perhibuit de his verba facere, quòd de aulico inſtitutus ſermo eſſet, &, vt multa ad eius perfectionem pertinentia dicerentur, reſtaret. Quem Cæſar Gōzaga magno in errore verſari dixit, ſiquidem, vt aula nulla vel ornamentū, & ſplendorem habere, vel affici lætitia ſine fœminis, aulicus etiam nullus aut gratum, acceptumqúe ſe præbere, aut ſe præſtare animoſum, aut opera equeſtria tractare concinnè, niſi fœminarum amore concitatus, harumqúe fauorem cōſequendi incenſus ſtudio poſſet, ita ſermo de eo imperfectiſſimus eſſet, cui eædem hæ non intereſſent, & ad quem venuſtatis illius, qua humanitatem ipſæ, vrbanitatemqúe aulicam condiret, nulla proficiſceretur

ficisceretur pars. Iulianus igitur de rebus omnibus, quas fœminæ in aula vitam degenti ad hoc, vt perfecta esset, putauit necessarias, ornatè, copioseq́; disseruit. Cui cùm in initio sui sermonis potissimũ conuenire statuisset lepidam quandam, & iucundam affabilitatem, qua cum cuiuscunque ordinis viris pulchrè sciret, & venustè traducere tempus ad hoc ipsum tempus, locumq́; & hominem, cui loqueretur, accommodans orationem, promptamq́; ingenij vim ostendens cum moribus placidis, & modestis, honestateq́; ea, qua cunctas semper componere deberet, & conformare actiones, coniũctam, Federicus Fregosius petiuit, vt, quomodò in collocutionibus de amore affabilitate eiusmodi vti illa deberet, commonstraret. Quod Iulianus Federico gratificans, quo pacto ipsam tum erga verè

amantem, tum erga amantem simulatè in ijs se gerere conueniret, docuit, simulqúe ob argumenti cognationem viam tradiderunt alij, qua, dum amaret, & acquirere aulicus, & acquisitam conseruare posset fœminarum gratiam. Sed, cùm totam hanc de aulicæ mulieris perfectione disputationem variæ contentiones prouexissent longius (multi .n. in primisq́; inimici illi fœminei sexus in plerisque Iuliano contradixerant) displicere id sibi Octauianus significauit Fregosius, siquidem concertationibus istis perditum tempus in auditione multarum rerum aliarũ poni potuisset, quæ ad aulicum porrò instituendum spectarent. Id, quod creditum fuit dici non seriò, existimatumqúe, nihil quicquam talium rerum esse reliquum, cùm Comes, & Federicus, quæcunque sapuissent, ad hunc absoluendum attulissent,

ſent, ad eaq́ue, quæ attuliſſent, acceßionē videretur Octauianus nullam poſſe facere. Sed perſeuerante hoc, in illo, quem ij inſtruxiſſent, multò, quàm hactenus requiſita eſſent, ſe requirere plura, Eliſabetha flagitauit, vt, an pluribus ipſum ſciret augere, vires ſanè periclitaretur ingenij, niſi .n. id faceret, arbitraturam ſe cum cæteris, quòd nihil aliorum addere poſſet dictis, ſed, quòd aulico fœminam à Iuliano fictam dolens eſſe parem multò perfectiorem illum fieri poſſe ſimularet muliebris honoris inuidia, vt per id longè hæc inferior ipſo eſſe videretur. Eaq́ libro author cuſtodiuit tertio. Veſpera quarta, quæ fuit vltima, vt ſuſpicionem ab ſe iſtam Octauianus remoueret, poſtquam aulicum omnibus, quibus hactenus inſtitutus fuiſſet, cumulatum de illis rebus vnam eſſe dixiſſet, quæ bonæ cum

essent, non simpliciter, ex suaqúe vi cõsiderata essent bonæ, sed propter finem, ad quem possent referri, cuiusmodi existerent leges, diuitiæ, liberalitas, & id genus aliæ, finem eius esse statuit, his, quæ à Comite, & Federico esset edoctus, beneuolentiam sibi conciliare principis, quicum esset, ita, vt, quod hunc conueniret scire, id semper auderet dicere, semperq́ diceret nunquam mentiens, cumq́ diceret,, minimè metueret, ne ei displiceret, tum, si ipsum animaduerteret habere in animo facere, quod dedeceret, vt non reformidaret corripere hominem, à viaq́, quæ ad vitia pateret, abducere in viam verò, quæ ad virtutem ferret, inducere aptè, atque decorè. Ac, cùm sua ætate principes praua consuetudine essent, ignorationeqúe sui, & falsis de se persuasionibus corrupti, nec facilè verũ

sibi

sibi dici paterentur, multi etiam mendacijs, & adulationibus illorum aucuparētur gratiam, debere aulicum monuit eniti, ut istiusmodi beneuolentiam principis, cuius esset minister, sibi adiungeret, qua collecta non solùm ueritati liberum ad eum aditum facere, sed & consequi posset, paulatim ut continentia, fortitudine, iusticia, temperantia scitè ipsius imbueret animum. Finem igitur aulici potissimùm Octauianus sentiens in institutione positum principis, cum quo esset, qualem hunc ille ea ipsa institutione reddere deberet, eleganter, dispersésq; docuit. Cūq; Aristoteles, & Plato alter Alexandrū Magnum, alter Dionem Syracusiū instituendo ad illum finem habuissent respectum, uideri sibi dixit, non respuisse eorum aures perfecti nomen aulici.

Sed hoc Gaspar Palauicinus eludens

ſcire ſe negauit, an poſſet credere, Ariſtotelem, & Platonem vnquam ſaltaſſe, aut voce, fidibusq́; ceciniſſe, aut opera equeſtria nauaſſe, quæ inter cætera eum, qui illo aulici perfecti eſſet nomine dignus, facere oportere traditum antè fuerat. Cui contradicens Octauianus cùm homines illos diuinos ſciſſe omnia, ſecuſqúe opinari penè nefas eſſe cenſuiſſet, atque ideò credi poſſe oſtendiſſet, feciſſe etiam ipſos, quod boni ſciuiſſent eſſe officiũ aulici, minimeq́; eſſe putandum, in finẽ, cuius ipſe meminiſſet, huic intuenti non conuenire cuncta, quæ in eo eſſent requiſita, quantumuis ſeueriſsimus eſſet, ſanctiſsimuſqúe philoſophus, idem Palauicinus hoc verbis oppugnans Federicum Octauiani fratrem cum alijs amare aulicum pridiè dixit voluiſſe, ex ijs verò, quæ hunc facere Octauianus nunc ipſe

voluiſſet,

voluisset, penè confici, necessariò eum oportere esse senem siquidem sapientia, rerumq́ usus, quibus principem, apud quem esset, ut virtutem amplexaretur, posset inducere, in ætatem prouectam duntaxat caderent, atque ideò, ut amaret, ipsi haud conuenire, cùm amor senibus non succederet, rebusq́ cunctis, quibus iuuenes, qui amarent, grati, acceptiq́ue essent mulieribus, hi mulieribus essent odio, ludibrio viris. Eaq́ de causa, si Aristoteles ille Octauiani aulicus natu grandis nunc viueret, deditusq́ esset amori, se vereri, ne accideret, ut principem ad virtutem erudire obliuisceretur, puerique eum insequerentur cachinnis, fœminæ etiam, nisi, quòd homini illuderent, voluptatem ex ipso nullam caperent. Verùm Palauicino se opponens Petrus Bembus (qui in amplissimum sum-

morum antistitum senatum postea est lectus) si maturioris ætatis aulicus saperet, quod cum cunctis, qui coram adessent, ipse poneret, forsan eum ita significauit posse amare, vt non modò in vituperationem nullam caderet, sed multam etiam sibi laudem pareret, summæq; felicitatis, quæ cunctæ offensionis, ac fastidij expers esset, fieret compos, id, quod rarò, fereq; nunquam contingeret iuuenibus, proptereaq; ipsum non commissurum amando, vt principem ad res laudabiles instituere omitteret, puerorumq; irrisione luderetur. Cuius orationis nouitate Elisabetha mota magno desiderio arsit audiendi, quomodò hoc fieret, ideoqúe, cùm parum laboris hactenus Bembus sustinuisset, præcepit, vt id aulicum ipse doceret. Qui argutè, grauiterq; hoc fecit ad sanctissimum illum omnium literis cele-

bratum

bratum amorem eum traducens Platonicum, de quo tanta animi contentione verba fecit, vt, postquam conticuisset, quasi à se discessisse, oculisq́ immotis in cœlũ conuersis obstupuisse videretur. Quæ vt extrema sermonis fuere pars, ita vltimo etiam consignata sunt libro. Atque ex his facilè nunc puto posse intelligi, quid Castilionius tractet, & quo artificio id tractet, quaq́ occasione, ac ordine. Nõ solùm .n. toto opere virum aulicum perfectum, & libro eius tertio perfectam aulicam fœminam fingit, verùm etiam libro quarto, dum, qualem institutione ille sua principem, cum quo sit, efficere debeat, docet, principem informat excellentem ex procreatrice illa, & quasi parente laudandarum præceptionum omnium philosophia repetita doctrina varia, passimq́ pro more, & consuetudine dia-

logorum omne genus salibus huic asper-sis, & facetijs, vt cum multis scriptori-bus antiquis tam lepore, quàm eruditio-ne certare profectò posse videatur. Ac non difficile homini doctißimo fuisset, quæ sua persona suppressa disputari facit ab alijs, literis Latinis mandare præcla-rè, nisi, quo sermone narrat esse dicta, eo-dem scribenda ea putasset, fœminisqúe æquè, ac viris scriptione gratificari sua voluisset, quarum sciebat Latinè scire non multas. Verùm, cùm magis virorũ interesse ego putarim, quàm mulierum, nosse res, quas ciuium suarum causa lin-gua Italica ille scripsit propterea, quòd harum paucæ lingua latina scriptas intel-lexissent, feci, vt Germani, quorum pau-ci lingua Italica scriptas intelligunt, lin-gua eas legere poßint scriptas Latina. Nam superioribus annis Romæ cùm es-

sem,

*ſem, gratiam me confidens ab hominibus
initurum noſtris authorem bonum in pri-
mis, & dulcem ex Italico cæpi conuerte-
re, vtque oratione veterem illam Lati-
norum ſimplicitatem, & grauitatem re-
dolente eum exprimerem, laboraui, quã
interpretationem diu intermiſſam, dum
otium ſum nactus, nunc reuocaui, et quã-
tùm facultas mea tulit, elimaui. Quod
verò ſub tuo Cæſar nomine hoc opus, ſub
quo eius nunc exit pars, emittere decre-
uerim, cauſæ non leues extiterunt. Nam,
cùm de officio id ſit ſcriptum non quidem
hominis cuiuſuis de populo, ſed eius, qui
ſtirpe nobili ortus in domibus principum
ætatem agat, quiq; illo ita cumulatè his
poßit, & abundè ſatisfacere, vt nume-
ris omnibus perfecti mereatur nomen au
lici, tu profectò ſummus princeps vt ſum
mo dignus es aulico, ita etiam ille*

eſſe

esse es visus, ad quem hos libros, quibus is instruitur, mittere deberem. Iam mirificam non sperem te percepturum voluptatem, cùm principis excellentis in libro quarto virtutes posthac legens virtutes leges tuas? Quis .n. te, qui summo loco natus non solùm auum paternum, & maternũ, itemq́ patrem habuisti clarissimos Imperatores, sed etiam Imperator nunc ipse es inclytus, aut bonis literis, quamprimum per ætatem intelligere aliquid potuisti, accuratius erudiri cæpit? aut à teneris vnguiculis probatissima educatione vigilantius institui? dum parens, auunculusq́ue tuus sapientissimi principes exquisitissimis, grauissimisq́ hominibus te in virtutum, & officiorũ disciplinam maturè tradiderunt. Nam, cùm ex ignorãtia falsæ in hominibus, quibus peccarent omne id, quod peccarent, nascerentur

nascerentur persuasiones, vt arte illa viuendi, quam sapientiam vocamus, te inficerent, studio acri hi euigilarunt, hi, cũ virtutes singulæ mediocritates quædam existerent inter duo positæ vitia, illisq́ hæc ita vicina essent, ac finitima, sæpe vt specie honesti mortales decepti in turpia ferrentur, quomodò res expetendas à fugiendis internoscendi scientia, quam prudentiam vsurpamus, te imbuerent, quantum maximè potuere, fuerunt enisi, ijdem cum scirent, tales in te viro futuros esse habitus, qualibus exercitationibus adolescens, ac iuuenis assueuisses, vt citò temperantia appetitus regere, rectaq́ cupere, ac agere, praua fugere, ab ijsq́ te abstinere inciperes, cunctos neruos contenderunt. Omitto loqui de continentia, de mansuetudine, de lenitate, de clementia, de humanitate, & comitate tempe-

rata

rata grauitate, virtutes hæ sunt familiæ tuæ propriæ, vt, qui principem Austria cum dicat, is principem dicat virtutibus his omnibus exornatum. Quis non idem affirmet de bonitate? cuius cùm parens in te tuus quandam quasi stirpem seminarit, educatio eam aluit, doctrina firmauit. Hac populos, quibus imperaturus olim esses, amandos tibi didicisti, vt liberos parenti, hac cum regina illa, ac domina virtutum reliquarum omniũ iusticia, quæ suum cuique tribuẽs probos præmijs, malos pœnis afficeret, sociata eosdem tibi cognouisti esse regendos. Quid dicam de fortitudine, de magnanimitate, de cõstantia, de cupiditate gloriæ? quæ vt non mediocres in te inessent, sed planè maximæ, id verò illi, qui educauere te, & erudiere, vel in primis operam dederunt. Ac, cùm virtutum harum omniũ omnis

laus

laus in actione consistat, tu earũ specimina hactenus dedisti præclara, cumq́ id feceris non modò Vngarorum, & Boemorum, sed etiam Romanorum Rex factus, siquidem (quod scitè dixit Bias) magistratus ostendit virum, simul documenta dedisti illustria, Imperatorem te nobis futurum, quo præstantiorem optare, & meliorem nullum planè possemus. Macte igitur virtutibus Cæsar tãtis toto animo, & studio omni his ad gloriam contende sempiternam, ad quam magnus campus est, magnus cursus tibi apertus. Quis familiæ tuæ, quis totius Christiani nominis hostis sit, vides, hic ne in Germaniam vsque imperium dilataret suum, non modò sapientia, & consilio, sed etiam armis, ipsarũq́ laterum suorũ oppositu pater tuus præcauit, et, qualemcunque se ei præbere nunc putabatur fortuna, si in vita longius mansisset, res gesßisset maiores.

Sed

Sed firmißima in spe sumus, diuinitus tibi hanc reseruatam esse palmam, hanc tibi desponsam esse et destinatam laudẽ, quem à progressu in patriam perẽni cum gloria ille arcuit, eum vt tu maiorum ex tuorũ regnis præcipitem mox exturbes, eius tu sic vires frangas, sic comprimas ferocitatem, sic domes audaciam, vt à reditu perpetuò refrenetur. Id quod dies, noctesqúe machinanti, & molienti tibi cùm præsto futuræ sint tot gentium inprimisq́ Germanorum validißimæ legiones, & instructißimus, inuictißimusq́ equitatus, re vna Cæsar ne deficiaris, etiã, atque etiam tibi memento prouidendum. Lapsa militiæ disciplina veteri vehemẽs in animos hominum nostro tempore inuasit opinio, hæc illis inhæret, penitusq́ est insita, pecuniam esse ualde expetendã. Cuius cupiditas maior cupiditatem omnẽ

in

in ipsis restinxit gloriæ, vt auidum laudis esse in uitio propemodùm corrupta hæc ætas ponat. Sed maiores eo, quod ad honestè cum coniugibus, liberisqúe viuẽdum satis esset, contenti libertatem, patriam, & parentes se protegere, se hostẽ ferire, se murum scandere, dumq́; hæc facerent, se conspici, diuitias esse putabant, virtutisq́; inter illos, & gloriæ, non pecuniæ, & opulentiæ erat certamen. Aliquidne autem effrænata nostræ ætatis, inexplebiliq́; auaritia reipublicæ Christianæ est importatum detrimenti? animusq́ue, viresq́; creuerunt hosti, dum pecuniæ coaceruandæ magis, magisq́; studium creuit huius tẽporis militibus? non est mihi propositum hoc nunc disserere, ingrata forsan esset, forsan odiosa ea oratio. Sed, cùm disciplina militaris apud illum vigeat, cùm legionibus ille, cùm belli ille ner-

uis abundet, vt maximum hoc, & vno tempore simul multis poßit diuersis in locis facere, diuq́ trahere, si, ex quibus exercitus erit contra ipsum tibi comparandus, ij omnia in pecunia semper ponent, quid per deum immortalem futurum tandem est aliud, nisi, vt vel pauci in militiam, quòd cupiditatem se ibi expleturas diffidant suam, tecũ proficiscantur? vel, si multi proficiscẽtur, quò plures illi erũt, hoc citius ne ærarium exhauriatur, metuant, belliq́ sua coniectura non lucrosi pertæsi segniter, socorditerq́ rem gerant, & per id crudelißimo tyranno in manus venientes fædißima morte mactentur, demumq́ Christiani populi curæ commißi nunc tuæ in seruitutem ei tradantur sempiternam? Quod ut ne eueniat Cæsar, huc omni cogitatione, curaq́ tibi putes incũbendum, hoc dies, noctesq́ meditandum,

quomodò

quomodò antiqua disciplina restituta assuefieri homines poßint, id vt pro certo habeant, id crebris inter se sermonibus vsurpent, ad id alius alium cohortetur, in bello patriæ commodis, non proprijs esse seruiendum, pro huius salute, & libertate inediam, atque egestatem, si necesse sit, tolerare, pro hac mille pericula adire, in ferrum ruere, sanguinem deniq; vitamq; profundere omnibus diuitijs, omnibus omnium Regum gazis, omnibus rebus fluxis, atque caducis cæteris longè esse anteferendum. Eoq; animo vt affecti sint, quorum opera in bello vteris, rationem inire non difficile tibi erit pro eximia Cæsar sapientia tua, sed ad id efficiẽdum magnum etiam habebit momentum, si ingenua in illis, ardensq; sitis accendetur gloriæ, quod cùm rebus alijs, tum in primis bonis literis, & historicorum, poe-

tarum, similiumq́; scriptorum euolutione fieri, primo hoc libro grauiter Castilionius putat. Quis .n. à Cæsare, ab Alexandro, à Scipione, ab Annibale, à tot alijs res gestas legit, & his partam immortalem gloriam considerat, qui dulcedine nō captus laudis incredibili inflammetur cupiditate, ut præclara illorum facinora, quantùm maximè poßit, imitando consectetur? patriæq́; incolumitatem cariorem non habeat, & antiquiorem sua? Sic si animati fuerint milites Cæsar tui, erit, erit profectò dies illa, qua potentißimo hoste deuicto, longißimeq́; imperio prolato tibi redeunti, qua eundem tibi captiuū ducenti cunctis ex oppidis omnium generum, omnium ætatum multitudo prodibit obuiam, tibi victoriam, tibi famam, laudemq́; perennem hac adeptam gratulabitur, te patrem patriæ salutabit, tibi

vitam,

vitam, tibi salutem suam, tibi sublato omni belli metu pacem, tranquillitatemque acceptam referet, quod vt faustè, prosperéq; tibi eueniat, à Deo optimo maximo optimi quique Cæsar precantur.

BALDESSARIS CASTILIONII AD ALPHONSVM ARIOSTVM DE AVLICO, IOANNE RICIO ANNOBERENSI *interprete, Liber primus.*

VTrum difficilius Alphonse esset, denegare tibi sæpius idem flagitanti, an facere id, quod flagitares, diu, ac multùm dubitaui. Nam & denegare ei, quē ego summo amore amplecterer, cuiq; me carissimum esse sentirem, rem laudabilem præsertim vehemēter cupienti, multò durissimum mihi videbatur, & sumere faciendum, quod difficile efficere esset, atq; absoluere, non existimabam esse hominis, qui iustam reprehensionem, quantùm deberet, vereretur. Sed post multas cogitationes tibi obsequens, laboremque, quem toties imponere mihi voluisses, suscipiēs statui experiri, quantum in hoc adiumentum afferre diligentiæ meæ possent studium illud, & desiderium ardens gratificandi, quæ cæteris in rebus industriam homi-

num augere tantoperè, atq; acuere solerent. Petis igitur, vt aliquid scribam de morum, officijq́; genere, quod ego potissimùm rear conuenire in aula ætatem agenti homini nobili, &, quo omni in re honesta putem principi, qui cũ sit, ita abundè eum posse satisfacere, vt huius consequatur gratiam, & aliorum adipiscatur laudem, exquirisq́; planè iudicium meum, cuiusmodi debeat esse is, qui summi mereatur nomen aulici, omninoq́; ita perfecti, vt nihil penitus ipsi deesse videatur. Quam petitionem consideranti mihi nisi maiori dignum vituperatione visum esset, beneuolentiam abs te meam requiri, quàm ab alijs omnibus desiderari prudentiã, defugissem hoc munus, quòd essem veritus, ne, si eo fungerer, temerè facere viderer cunctis, qui sciunt, quàm sit difficile, è tanta, tamq́; multiplici varietate officij, &, quibus in principum domibus nunc viuitur, morum absolutissimam, & pulcherrimam speciem tanquam florem posse excerpere. Nam sæpe facit consuetudo, vt idem arrideat

nobis,

nobis, & ſordeat, vtque mores, habitus, ritus, modos, quos vnum tempus in rebus quaſi pretioſis habuit, aliud in vilibus numeret, &, quos deſpexit vna ætas, pro nihiloque duxit, alia ſuſpiciat, magnique æſtimet. Ex quo eſt perſpicuum, ad res nouas in morem inducendas, abducendasque à conſuetudine tritas plus vſum valere, quàm rationem, quarum vtræ ſint alteris perfectiores, qui dijudicare conatur, & ſtatuere, is ſæpe falſa opinione ductus allucinatur.
Quam argumenti ad ſcribendum nunc mihi dati cùm cognitam habeam difficultatem, multas alias etiam eſſe, non ſim neſcius, excuſare me cogor, & relinquere teſtatum, hunc errorem (modò muneris tam ardui ſuſceptio error poteſt dici) tecum mihi eſſe communem, vt, ſi ob eum incurrendum mihi ſit in reprehenſionem, huius etiam homines intelligant ad te pertinere partem. Neque enim exiſtimari ſanè debet, minori in culpa eſſe te, qui onus mihi impoſueris, quod ſuſtinere, & ferre non poſſim, quàm me, qui in humeros id

extulerim, & acceperim. Sed veniamus ad hoc, quod nobis est propositum, aggrediamurque fingere (si fieri potest) aulicum talem, vt princeps, qui dignus erit, apud quem sit, etsi prouincia, & ditione sit non magnus, longè maximum tamen esse illo se dicere possit ministro. Non vtemur autem in his libris certo aliquo ordine præceptionum distinctarum, cuius in rei cuiusque institutione, & disciplina crebrior solet esse vsurpatio, sed ad morem multorum veterum gratam memoriam, iucundamque renouantes sermonem quendam exponemus, quo summi pridem, singularesque homines perfectum aulicum informarunt. Cui cùm non interfuerimus ipsi, sed vir amicissimus ad nos è Britannia, in qua, cùm haberetur, fuimus, post aliquantò reuersos fidelissimè eum, vberrimeque retulerit, conabimur penitus, quoad facere potuerimus, ad memoriam ipsius reuocare animum, vt cognoscas, quid senserint de hoc, quod quæris, & statuerint digni summa laude homines, quorumque iudicio,

dicio, dum vixerunt, cuncta in re sine vlla dubitatione facilè omnium stare potuit assensio. Minimè verò alienum instituto fuerit nostro, vt ad finem, atque exitum, quem spectamus, ordine fiat progressio, si originem illius sermonis, ansamque paulò altius repetamus. In Apennini appendicibus, quæ ad mare vergunt Adrianum, media quasi Italia Vrbinum (vti neminem fugit) positum est vrbs parua. Quæ etsi undique cincta est montibus, & quidẽ non æquè amœnis, ac fortè sunt aliqui, quos multis in locis cernimus, tamen tanto fauore in eam, & benignitate propensi fuêre cælites, vt nõ modò saluberrimo circunfusa aere, sed etiam fertilissimo, vberrimoque frugum circundata solo abundantia circunfluat, & copia omniũ omnino rerum ad vitam propagandam necessariarum. Sed felicitatum, quas meminisse de ea, & commemorare possumus, maiorum hanc reor esse præcipuãm, quòd inde à longo tempore ad nostram vsque memoriam optimi semper principes ciuitatem in ipsa rexerũt.

quanquam in cõmuni calamitate bellorum Italicorum quoddam tempus hanc etiam illis vidit orbatam. Planum id facere, ne longius abeamus, illuſtri poſſumus, & glorioſa memoria Ducis Federici, qui ſua tempeſtate lumen Italiæ fuit. In vita manent integerrimi, atque ampliſſimi etiam nunc teſtes de eius prudentia, de humanitate, de iuſticia, de liberalitate, de animo inuicto, in primisque de diſciplina militari, quæ qualis fuerit, indicio ſunt tantæ victoriæ, tot caſtella expugnata habita inexpugnabilia, tanta in expeditionibus celeritas, toties exigua manu maximi, fortiſſimique fuſi, & fugati exercitus, nullo vnquam deniq; victum fuiſſe in prælio, vt non ſine cauſa conferre ipſum, atque æquare poſſimus cum multis antiquis, qui rerum geſtarum gloria floruerunt. Is inter alia hoc etiam fecit dignum laude, quòd in montoſo Vrbini, aſperoque ſitu domum ædificauit, quæ opinione multorum reliqua omnis Italiẹ domicilia pulchritudine facilè vincat, eamque cuncta opportuna re, atq;

idonea

idonea ita instruxit, vt non domus, sed sub specie domus, ac figura vrbs esse videatur. Etenim non modò reb. in quotidiano collocatis vsu vasis argenteis, & pretiosissimis aulęis ex auro, è serico, materieq; è simili eam instruxit, verum etiam innumeris ex marmore, æreque statuis antiquis, diuinissimisque picturis, & omne genus instrumentis musicis exornauit, reique planè nulli, nisi rarissimæ in ipsa, & præcellentissimæ locum esse voluit. Congregauit in eandem maximis impensis, & sumptibus non paruam porro vim præstãtissimorum, minimeque vulgarium librorum Græcorum, Latinorum, Ebraicorum, quòs cunctos auro decorauit, atque argento in hoc summam excellentiã ponens magni domicilij sui. Atenim quinque, & sexaginta iam annos natus, cùm curriculum viuendi à natura datũ confecisset, laudatissimam vitam cum gloriosissima morte cõmutauit, prolemque, quæ decem annos compleuisset, quamque solam marem, & matre orbam haberet, vt Vrbinatibus impera-

ret, Guidum reliquit Vbaldum. Qui vt prouinciæ, ita cunctæ quasi virtutis paternæ hæres esse videbatur, incipiebatque ab ipsa statim pueritia mirifica indole tantarum rerum expectationem de se cōcitare, quantas de homine mortali sperare, fas esse non putabatur ita, vt existimaretur, inter egregia facta Ducis Federici nullum pręstabilius esse, atque maius, quàm, quòd talem natum genuisset. Sed fortunæ inuidia tantæ virtuti, tam illustri cum gloria primùm velut pubescēti omni conatu mox obstitit, ante vicesimum enim ætatis suæ annum Guidus tetris podagræ cæpit ardere doloribus, quibus magis, ac magis manantibus latius breui tempore cunctis artubus vsqueadeò fractus fuit, & debilitatus, vt nec stare, nec loco moueresse potuerit. Ita vnum de corporibus summa tum pulchritudine, tum firmitate præditis in ipso ætatis flore deformatum fuit, & vitiatum. Nec verò tanta hominis afflictione contenta fortuna, & satiata ita porrò infensa ei, atque aduersa in omni instituto, & conatu

fuit,

fuit, vt, quæ efficere cupiuerit, rarò facultate fuerit cõsecutus. Etenim, quanquam consilium sapientiæ plenissimũ, animusq́; inuictissimus in eo inessent, tamen, cùm res obijt seu bellicas, seu alias vel paruas illas, vel magnas, atque arduas, nulla vnquam ipsius incæpta prosperos exitus, secundosq́ue habuerunt. Testantur hoc multæ eius, & varię calamitates, quas tam vigenti animi robore semper ita tulit, vt nunquã virtutem à fortuna passus sit vinci, quin potius tempestates huius, & procellas fortiter, sapienterq́; despiciens in morbo vt sanus, in rebus aduersis vt fortunatissimus cum summa dignitate apud omnes, atque existimatione vixit. Etsi enim corpore ita infirmo esset, (vt dixi) & debili, honestissimis tamen conditionibus sub clarissimis regibus Neapolitanis Alphonso, & Ferrando minore, sub Alexandro VI. Pontifice, sub Venetis item, & Florentinis militauit. Dein, cùm Iulius II rerum potitus esset, bellorum regni Pontificij nomine gerendorum dux fuit creatus. Quo tempo-

re, vt anteà ſemper conſueuerat facere, in hanc potiſſimùm cogitationem, curamque incumbebat, vt domum ſuam hominib. & nobilitate, & ingenio præſtantiſſimis repleret, quibuscum admodum viuens familiariter mirifica iucunditate perfundebatur. Nec verò minore voluptate ipſe afficiebat alios, quàm ab alijs afficiebatur, quòd Græcè, & Latinè doctiſſimus cum affabilitate, & lepore ſermonis noticiam rerum innumerabilium ſociarat. Quid dicã, quanto ſtimulo excelſitas eum animi concitarit, vt, etſi opera equeſtria, quemadmodùm ante id tempus fecerat, nauare non poſſet iam ipſe, tamen incredibili cum voluptate nauari videret ab alijs? quorum vnumquenque pro eo, ac merebatur, nunc increpans, nunc collaudans luculenter oſtendebat, quàm intelligens de illis, & prꝺſtans omnino haberet iudicium. Itaque in ludicris certaminibus, ſeu eminus haſtis, ſeu cominus gladiis in hæc deſcenderetur, in equitando, in tractando omne genus arma, ſimiliter in lætis virorum, mulierumq;

rumque conuentibus, in ludis, in vocum, neruorumque cantibus, in cunctis denique exercitationibus, quæ hominem decerent nobilem, quisque magno studio nitebatur se præbere talem, vt in tam lectorum hominum numero, & cōsociatione qui esset, dignus haberetur. Erantque singulæ diei horæ singulis honestis, atque iucundis tum corporis, tum animi exercitationibus destinatæ. Sed, quoniam Guidus semper à cœna ob infirmam valetudinem mox somno se dabat, vnusquisque id temporis ad illum locum, in quo vxor eius Elisabetha erat Gonzaga, quotidie se conferebat, eodem perpetuò veniebat Aemilia Pia, quæ tam acri ingenio (vt scis) & iudicio fuit, vt quasi dux, & magistra omnium existere, sapientiamque ab illa haustam ad se transfundere, ab illius ingenij lumine sui ingenij lumen accendere singuli viderentur. Ibi igitur sermones pleni suauitatis, pleni liberaliū facetiarum audiebantur, quædamque in facie singulorum quasi depicta videbatur iucunda hilaritas ita, vt Guidi V-

baldi

baldi domus propria reuera domus lætitiæ posset, sedesque appellari. Minimeque credo, alio vnquam in loco æquè, ac aliquādiu illic, fuisse gustatum, quanta sit ex hominum se mutuò arctè complectentium societate, & coniunctione nascens iucunditatis suauitas. Nam, vt silentio nunc transeam, quanto honori cuique nostrum fuerit, talis se principis, qualem dixi, esse familiarē, quasi rebus omnibus ad voluntatē nostram fluentibus cuncti perbeati nobis esse videbamur, quotiescunque ad vxorem eius redibamus. Tenebatque hæc velut cathena quædam tanta nos caritate inter nos deuinctos, nunquam vt maior voluntatum consensio, nunquā maior amoris ardor inter germanos fratres extiterit, quàm inter nos erat. Pari coniunctione inter se nexę, & iugatæ erant fœminæ, quibuscum liberrimum commercium, honestissimumq; erat, cuicunq; enim assidere, cum quacunque & colloqui, & iocari, & ridere cuiuis licebat. Verùm omnibus voluntas vxoris erat tanti, vt ea ipsa licentia instar

inſtar freni eſſet, quo in officio omnes retinerentur, nemoque erat, qui huic placere non ſummam voluptatem, diſplicere nō maximum dolorem eſſe putaret. Quamobrem honeſtiſſimi mores cum laxiſſima libertate ibi erant cōiuncti, iocaque, & riſus tum argutiſſimi ſales tum grauis, grataque omnibus maieſtas ea præſente condiebat. Nam modeſtia illa, illa grauitate, qua cunctos actus ſuos, & verba, & geſtus componebat, facetè aliquid, iocoſeque dicens facilè ipſa faciebat, vt etiam ab eo, cui nō eſſet ante id tempus viſa, ſumma omnino fœmina, & præcellentiſsima eſſe cognoſceretur. Atque ita in animis circunſtantium velut formam inſculpens ſui omnes quodammodò ex ſe videbatur fingere, tum cuncti vel dicendo aliquid, vel faciendo ad conſuetudinem, & modum, quo ipſa vtebatur, ſtudioſè ſe referebant quaſi exemplar morū pulcherrimorum ſumentes à tanta, tamq; eximijs virtutibus cumulata muliere. Cuius diuina bona hoc tempore commemorare nō eſt nobis in animo, cùm neque

neque instituti id sit nostri, & quasi alto in loco ea posita omniũ oculis cernantur, sintque planè notiora, quàm vel dicendo nos, vel scribendo ipsa possimus facere. Etenim & illa, quæ abscondita fortè aliquantùm, & abdita latuissent in occulto, fortuna raram ipsorum admirata præstantiam multis calamitatibus, & casib. aduersis quasi stimulis concitata in lucem voluit, aspectumque producere, planè vt fidem faceret, vel in tenera muliere cũ singulari pulchritudine formæ prudentiam, magnitudinemque animi, & cunctas virtutes eas, quæ in seueris quoque, durisque viris difficiles sunt repertu, coniunctas posse, copulatasque existere. Sed, vt de vxore hæc prædicare nunc desinamus, cuncti homines nobiles domestici ad locũ, in quo illa erat, repentè à cœna (quemadmodum dixi) se solebant recipere. Vbi inter cantus, & saltationes, cæteraque oblectamenta iucunda, & assidua bellæ interdum ponebantur quæstiones, nonnunquam ludi existebant ingeniosi diuerso tempore diuersorum arbitratu,

bitratu, in quibus cogitationes suas pluribus sæpe continuis verborum translationibus velatas alij alijs, quibus potissimùm vellent, significarent. Aliquando varijs de rebus disserebatur, promptisúe, & salsis dictis alij ab alijs mordebantur, non raro symbola etiam fingebantur, quibus ex rebus mirificam voluptatem cuncti capiebant, quòd domum Guidus suam nobilitate, & ingenio præstantissimis (vt dixi) repleuerat hominibus, quorũ celeberrimos scis, ac principes fuisse Octauianum Fregosium, Federicum eius fratrem, Iulianũ Medicem, Petrum Bembum, Cæsarem Gonzagam, Comitem Ludouicũ Canossam, Gasparem Palauicinum, Ludouicum Pium, Morellum Ortouitanũ, Petrum Neapolitanum, Robertũ Barrium, aliosque item homines nobiles complures. Erantque porro multi, qui eadem in domo non omne quidẽ tempus, bonam tamen eius partem continenter tererent, ex quorũ numero fuêre Bernardus Bibiena, Vincus Aretinus, Ioãnes Christophorus Romanus,

neque instituti id sit nostri, & quasi alto in loco ea posita omniū oculis cernantur, sintque planè notiora, quàm vel dicendo nos, vel scribendo ipsa possimus facere. Etenim & illa, quæ abscondita fortè aliquantùm, & abdita latuissent in occulto, fortuna raram ipsorum admirata præstantiam multis calamitatibus, & casib. aduersis quasi stimulis concitata in lucem voluit, aspectumque producere, planè vt fidem faceret, vel in tenera muliere cū singulari pulchritudine formæ prudentiam, magnitudinemque animi, & cunctas virtutes eas, quæ in seueris quoque, durisque viris difficiles sunt repertu, coniunctas posse, copulatasque existere. Sed, vt de vxore hæc prædicare nunc desinamus, cuncti homines nobiles domestici ad locū, in quo illa erat, repentè à cœna (quemadmodum dixi) se solebant recipere. Vbi inter cantus, & saltationes, cæteraque oblectamenta iucunda, & assidua bellæ interdum ponebantur quæstiones, nonnunquam ludi existebant ingeniosi diuerso tempore diuersorum arbitratu,

bitratu, in quibus cogitationes ſuas plu ribus ſæpe continuis verborum tranſla tionibus velatas alij alijs, quibus potiſſimùm vellent, ſignificarent. Aliquando varijs de rebus diſſerebatur, promptisúe, & ſalſis dictis alij ab alijs mordebantur, non raró ſymbola etiam fingebantur, quibus ex rebus mirificam voluptatem cuncti capiebant, quòd domum Guidus ſuam nobilitate, & ingenio præſtantiſsimis (vt dixi) repleuerat hominibus, quorũ celeberrimos ſcis, ac principes fuiſſe Octauianum Fregoſium, Federicum eius fratrem, Iulianũ Medicem, Petrum Bembum, Cæſarem Gonzagam, Comitem Ludouicũ Canoſſam, Gaſparem Palauicinum, Ludouicum Pium, Morellum Ortouitanũ, Petrum Neapolitanum, Robertũ Barrium, aliosque item homines nobiles complures. Erantque porro multi, qui eadem in domo non omne quidẽ tempus, bonam tamen eius partem continenter tererent, ex quorũ numero fuêre Bernardus Bibiena, Vincus Aretinus, Ioãnes Chriſtophorus Romanus,

Petrus Montanus, Terpander, & Nicolaus Phrigius sic, vt semper poetæ, musici, omnisque generis homines iucundi, in omnique arte maximè excellentes, qui in Italia essent, illuc confluerẽt. Cùm igitur Iulius II. anno M D VI. ope, auxilioque Gallorum Bononiam sub ditionem Pontificiam iterum subiunxisset, Romam rediens in itinere Vrbinum aduenit. Vbi, quoad eius fieri potuit, honoratè, & apparatu tam magnifico fuit, splendidoq; acceptus, quã accipi in vllo alio Italiæ oppido nobili potuisset ita, vt non ipsius tantùm, sed summorum etiam antistitum omniũ, cæterorumque aulicorum desiderium rerum exquisitissimarum copia, & varietas satiarit. Eorumque nonnulli hominum, quos aiebam, inter se coniunctissimorum capti suauitate Pontifice cum comitatu reliquo discedente dies complures ibi consistebant. Quo tempore in lætis conuentibus, atq; oblectamentis vsitatis non modò fieri solita perpetuabãtur, verùm etiam accessionis ad hæc aliquid facere cuncti studebant

bant maximè in ludis, quibus quotidie ferè vesperi opera dabatur. Eorumque sic ferebat ordo, quamprimùm ad vxorem illi se collegerāt, vel voluntate delectum, vel sorte oblatum capiebant locum in circulo, atque ambitu, propterque singulos viros singulæ considebant fœminę, quàm diu quidem eæ suppetebant, quoniam semper ferè illi numero has longè, multumque vincebant. Exin ad vxoris arbitrium regebantur, ex cuius voluntate frequentius per Aemiliam Piam id fiebat. Postridie itaque, quàm Pontifex esset profectus, cùm hora, locoque solito conuenissent, multaque suauissimè inter se locuti essent, ludorum illa voluit planè hanc facere initium. Quæ vbi nonnihil id munus defugisset, quoniam, tandem inquit, omnino Dux vis, vt ludorum ego initium afferam, par est morem me gerere cupiditati tuæ. Statuoque initium eorum introducere, ob quod mea opinione non multum reprehēsionis habere debeam, minus multum negotij, ac molestię, vt nimirùm singuli, qui adsunt prę-

ſentes, in medium proferant arbitratu ſuo materiam ludi, quo hoc nos tempore cupiant oblectari, noui, dein ex multarum diſſimiliũ quaſi aceruo communis omnium conſenſio vnam excerpat digniſſimam conſeſſu, cętuque hoc noſtro. Simulque Gaſparem intuens Palauicinum, tu quidem, inquit, primò id facito. Qui repente, tuum eſt, inquit, primò id facere. Quin ego, inquit illa, id iam feci, verùm tu Dux, vt mihi obtemperet, huic mandato. Tum Dux arridens, vt quiſque, inquit, dicto ſit audiens tuo, in vicem te meam ſubſtituo, authoritatemque meam in te omnem transfero. Mirum herculè eſt, inquit Gaſpar, ſemper fas eſſe mulieribus labo rem omnem à ſe deonerare, & traijcere in viros, eiusque rei cauſam ſi planè nunc auerem ſcire, iuſtum eſſet, vt arbitror, deſiderium meum. Sed, ne ego ſim is, à quo imperium Aemilia tuum recuſandi proficiſcatur initium, differã hoc ſanè in tempus aliud, & à neceſſitatis, quibus aſtringor, nunc vinculis me laxabo. Exiſtimo igitur, animorum noſtrorum

ſtrorum in amando perinde, vt in factis alijs, cunctisque item rebus, contraria inter ſe, & pugnantia eſſe iudicia, ex eoque ſæpe euenire, vt idem vni gratiſſimus ſit, odioſiſſimus ſit alij. In hoc tamen eorundem congruentia ſemper, & conuenientia ſunt ſtudia, quòd cariſſimus nobis, acceptiſſimusq; ſit, quem amamus, vſqueadeò, vt ſæpe propenſionis abundantia, qui omni excellenti virtute ſit præditus, præter eum vnum, prorſus putemus eſſe neminem, perfectiſſimumque ipſum, & ſummum planè hominem eſſe exiſtimemus. Sed, quoniam nihil in humanam naturam cadit, quod omnibus partibus ſit, numeríſque expletum, & nemo eſt cunctorum mortalium, in quo non aliquid deſideretur, non errare nos id faciẽtes, & decipi, quaſiqúe cæcari amoris magnitudine, minimè profecto poſſumus dicere. Ego itaque velim, ludum hoc veſpere eſſe, oblectamentúmque noſtrum, vt quiſque exponat, qua potiſſimùm virtute ornatum eſſe cupiat, quẽ amet, cúmque cunctos homines vitio-

rum quibusdam quasi maculis notarit natura, cuius ex his labem eidem malit esse aspersam, vt cernere possimus, quis eligere sciat virtutes magis laudabiles, magísque vtiles, vitia minus vituperabilia, minúsque nocentia tam ei, qui amet, quàm ei, qui ametur. Hæc cùm Gaspar dixerat, Constantiæ Fregosiæ, quæ ad illius sedebat latus, signum Aemilia dabat loquendi, eáque iam se parabat ad sermonem suum ordiendum, cùm subitò Dux, quoniam, inquit, à cura hac omni inueniendæ materię ludi noui soluta voluit, ac libera esse Aemilia, ea cessatione par sanè fuerit fæminas vti, atq; otiari omnes hac quidem vespera, quo in tanta frequentia virorum, ne argumentis ludorum deficiamur nouorũ, minimè sanè puto metuendum. Ita faciemus, inquit Aemilia, & silere iussa Constantia mandauit, vt Cæsar, qui ei assidebat, loqueretur Gonzaga. Ac is, qui, inquit, diligenter volet, & accuratè omnes actiones nostras cõsiderare, variè imperfectas eas, & mancas esse reperiet. In causáque est natura, quæ cun-

ctis in rebus quasi dispar sui, & dissimilis vni in vna, alij in alia ingenij largita est lumen, quo fit, vt alio sciente, quod alius ignorat, & econtrariò quisque facilè errorem alienum cernat, non cernat suum. Etenim cuncti nobis videmur valdè sapere, & fortè magis in eo, in quo magis desipimus, ac deliramus. Ex quo vidimus accidere, vt, multos in hac domo sapientissimos primùm habitos stultissimos esse paulatim comperiretur cura tantummodò, & diligentia nostra. Nam, quemadmodùm Apulos ferunt ex phalangij Tarentini morsu lapsis in morbum multiplices adhibere cantus, latentémque, qui morbum gignit, humorẽ varijs indagare sonis tantisper, dum ex his aliquem quadã quasi similitudine naturæ sibi cognatum ille sentiens subitò moueatur, simúlq; concutere incipiat, & concitare ægrotum, ipsa vt agitatione conualescat, ita nos, si videre nobis sumus visi, occultam in aliquo, atque abditam insidere stulticiam, tam subtilibus, & varijs persuasionibus, támque diuersis modis tenta-

re ſtuduimus, & experiri, an eam poſſemus elicere, vt ad extremum, quo tenderet, deprehenderimus, hominémq;, in quo ineſſet, benè, & nauiter agitauerimus, donec in vulgus palam omnib. numeris perfectus ſemper euaſerit fatuus. Eáque ratione fecimus, vt ſtulti ſæpe extiterint varij, alij quidem in poetica, in muſica alij, quidam in amando, nonnulli in tripudiando, plerique in ſaltando more, ritúque Aethiopum, multi in equitando, non pauci in palæſtra, & exercitatione gladiatoria, pro vena ſcilicet, naturáq; ſinguli ſua, vnde multiplex dein, vt ſcitis, mirificaque voluptas fuit percepta. Quibus adducor, vt habeam pro certo, in vnoquoque noſtrum ſemen quoddam incluſum eſſe ſtulticiæ, quod varia perſuaſionum ſolertia tanquam cultura adhibita oriri poſſit, & augeſcere quaſi infinitè. Proptereáque velim hanc ipſam rem materiam nunc nobis eſſe ad ludendũ, cúmque ſciam fore, vt palam ego ſim ſtultus, quenq; veſtrum optem dicere, qua in re, & quo in genere fore putet, vt palam

lam ſim ſtultus, ex primis ſtulticiæ indicijs, quæ quotidie ex ſemine eius in me ſparſo tanquam herbeſcens viriditas edi videntur, iudicio facto: Eiuſque rei à me ducto initio, vt ordo ſeruetur noſtris in ludis vſitatus, progreſſionem cu piam fieri ad cunctos, qui adſunt, cæteros, eúmq;, qui quid de alio dicat, eius, quod dicat, perſpicua ſigna habere, atque argumenta. Ex quo hoc adipiſcemur commodi, vt vitia quiſq; ſua quaſi ante oculos ſibi poſita cognoſcens cauere ea melius poſſit, ac fugere. Sin aliquis noſtrum in fatuitate ſua tantopere ſibi placebit, vt nõ inducat animum ſapere, admouebimus homini ad perfe ctam delirationem quaſi ad calcem in ſtadio currenti calcaria, animamque, vt monachus docet Marianus, vnam lucrifaciemus, quod quæſtus erit non parum. Riſum hic fuit ſanè admodùm, nemoque continere ſe potuit à loquen do, alius, ego, inquit, ſi hic eſſet ludus nunc noſter, ſtultus euaſurus viderer cogitando, ego intuendo, alius, eratq́;, qui ſe iam ſtultũ euaſiſſe diceret aman-

do, non nisi de stulticia sermo erat omnibus. Tum Seraphinus monachus ridens more suo, produceretur, inquit, qui de stulticia nostra institueretur, sermo sanè longius, sed, si ludum vultis oppidò pulchrum, efficite, amabo vos, vt quisque enunciet, quamobrem putet mulierib. quasi cunctis in odio esse mures, in amore serpentes, & ad verum accedere propius me videbitis planè neminem, qui mira quadam via reconditam hanc rem, & absconditam inuestigaui, iamque ordiebatur mysteria sua aperire, cùm illico Aemilia silere eo iusso signum loquendi Vinco dedit Aretino fœminam inter hunc, & illum intermediam prætergrediens. Qui non expectans mandatum aliud, ego, inquit, vellem me esse iudicē, cui potestas permitteretur omni tormentorū, cruciatuumque genere exquirendi veri à maleficis, vt fraudes patefacere possem cuiusdam ingratæ, quæ animum maleuolentia suffusum beneuolo aspectu tanquam velo quodam obtendit, nec vnquam dicit, quod sentit, cōmiserationemq;

nemque erga ſui obſeruantes ſimulans plenam fuci,& fallaciæ in aliam cupiditatem nullam incumbit, niſi more medicorum membratim incidentium humana cadauera ſcalpello ſecandi illorũ corda. Etenim tam venenata,tam ſitiens humani ſanguinis ſerpens in ipſa nõ reperitur Libya arenoſa, quàm hæc eſt falſa, quæ nõ ſolùm ſuauitate vocis, & melle dulcioribus verbis, ſed etiam oculis,riſibus, nutibus, modisque omnino omnibus vna veriſſimarum eſt Sirenum. Sed,quoniam,quod cuperem, nec cathenis, nec funiculis, nec flãmis indagare verum mihi eſt fas, indagare id mihi libet hoc ludo, vt quiſque noſtrum exponat, quid ſignificare putet literam S, quam in fronte geſtare conſpicimus Ducem. Etſi enim ſine dubio hæc quoque artificioſum eſt ad fallendum aptum integumentũ, tamẽ quiddã fortè ea oſtendetur ſignificari, quod nunquam illa cogitauit,perſpicieturq;, fortunam hominum cruciamentis motam,quaſique miſericordia captam feciſſe, vt tam paruo ſigno contra volun-

tatem ipſa proderet ſuam occultam cupiditatem occidendi, ac potius tanquã calamitatis tumulo viuos obruendi, à quibus vel ſpectaretur, vel obſeruaretur. Riſit Dux, & animaduertens Vnicus, quòd depellere à ſe hanc vellet criminationem excuſatione, tace, inquit, Dux tace, non enim, vt tu loquaris, poſtulat nũc locus. Tunc Aemilia ad eum ſe conuertens, nemo eſt, inquit, noſtrũ Vnice, quin palmam libenter tibi deferat rerum planè omnium, inprimiſque Ducis animum multò magis tibi eſſe, omnes fatemur, quàm nobis, perſpectum. Et, quemadmodùm plus alijs in intimos huius receſſus, ac latebras penetras acumine diuini ingenij tui, ita amore etiam eius vincis, antecediſque ceteros. Quorum, ne intelligẽtia comprehendere, & aſſequi poſſint, quàm perfectus idem ſit, perinde, vt illarum auium, quæ ſolem intueri nequeũt, imbecilla acies, retunditur, hebeſcitq; ingenium. Quarè interpretatio, quam quæris, è fonte hauriretur iudicij duntaxat tui, aliunde eam conari haurire,

tempus

tempus esse puto, operamque omnem perdere. Hic Vnicus aliquantùm siluit, sed loqui omnino iussus, quid litera illa S designaret, carmine tandem explanauit, quod etsi fusum ex tempore, factũque subitò videbatur multis, tamen, q̃a magis ingeniosum esset, magísque excultum, quàm, vt fieri tam breui tempore potuisse putaretur, cogitabatur vtique factum cogitatè. Ideóque, cùm lætus omnium plausus id esset, & nonnullus sermo consecutus, Octauianus Fregosius, cuius erat post Vnicũ loqui, si ego affirmare vellem, inquit arridẽs, nunquam me flagrasse amore, scio certò, Ducem, atq; Aemiliam, quantumuis mihi non crederent, ficturas tamẽ, & simulaturas se credere, dicturásque hoc accidisse propterea, quòd, vt me amaret, mulierem aliquam desperarim posse inducere. Quod an facere possẽ, nondum reuera tanto periclitatus fui conatu, vt diffidere meritò debeam, aliquando id facultate me consecuturũ, nec experiri idem id omisi hactenus, ꝙ dignas non putarim multas, quas amarem,

rem, & colerē, ſed, quòd deterritus fuerim lamentis quorundam amantium continuis, qui pallidi, mæſti, taciti oculos habent indices, ac teſtes ſemper cū fortuna expoſtulantis animi, & , ſi loquuntur, ſingula verba comitantibus bis, térq; iteratis ſuſpirijs meras lachrymas loquuntur, meros cruciatus, meram deſperationem, mera mortis deſideria, vt, ſi ſanè ſcintilla aliqua amoris me contigerit incēdi, reſtinguere illam omni induſtria ſim conuiſus ſubitò minimè quidem mulierum odio, vt hæ opinantur noſtræ, ſed cura, & ſtudio expediendæ ſalutis. À quibus queribundis planè diuerſas dein, & diſcrepantes cognoui quoſdam, qui non ſolùm beatos ſe eſſe prædicant grato aſpectu, verbíſque caris, & nutibus ſuauibus mulierum, quas amant, ſed, quicquid etiam in amore eſt amarum, id vltro condientes dulcedine rixas, iras, indignationes multò ſibi dicunt eſſe ſuauiſſimas. Atque hi plus, quàm felices mihi eſſe videntur, quoniam, ſi in muliebribus indignationibus, quas alteri illi morte putant

tant esse acerbiores, ipsi tantam gustãt dulcedinem, videntur mihi in animi beneuoli significationibus summam eam sentire debere beatitudinẽ, quam nequicquam in hac vita quærimus. Quarè velim, vnumquenq; nostrum nunc dicere, si futurum sit, vt irasci sibi sentiat, & succẽsere, quam amet, quam rem indignationis, qua tanquam æstu quodam ea efferuescet, esse cupiat effectricem. Nam siqui nostrum sunt, qui muliebrium illarum indignationum suauitate aliquando fuerũt perfusi, minimè dubito, quin pro humanitate sua desiderio flagrabunt audiendi inter eius generis res aliquam, quæ hãc suauitatem progignat, & ego fortassè confidã, paulò, quàm hactenus feci, in amore me progressurum longius, ibíque eandem hanc suauitatem gustaturum, vbi nonnulli sentiunt acerbitatem, desinéntq; ita deinceps infamiam mihi inferre hæ nostræ, quòd ab amando scilicet refugiam, & abhorream. Plurimùm arrisit hæc materia ludi omnibus, iámque singuli se parabant, vt de eo, quod Octa-

uianus

uianus ſcire auebat, ſententiam aperirent ſuam, ſed, an id fieri vellet, non indicante Aemilia Petrus Bembus, cui ordo imponebat loquendi neceſſitatem, non modicam, inquit, animo meo dubitationem attulit de mulierum indignationibus Octauiani ſermo. Quæ etſi multiplices ſunt, & diſpares, mihi tamen omnes acerbiſſimæ ſemper extiterunt, nec ex me puto condimentum aliquod poſſe diſci, quo penitus dulceſcant, ſed fortaſſè vel magis ſunt, vel minus amaræ pro rerum ipſas efficientiũ varietate. Memini enim me videre aliquando eam, cui ſeruiebam, magna animi perturbatione aduerſum me commoueri vel vana fidei erga ſe meæ violatæ per ſeipſam concitam ſuſpicione, vel falſa opinione inductam alia magno meo cum damno ex obtrectatione profecta maleuolorum ita, vt crederem, in maiori, quàm me, dolore eſſe neminem, videbaturque mihi cruciatus meus hic eſſe maximus, ferre me, ac perpeti, quòd non eſſem meritus, afflictarique non mea culpa, ſed, quòd eius,

quam

quam ſumma mei cupiditate inflammatam eſſe, incenſamq́ue conſiderem, amorem comperirem multùm refrixiſſe. Vidi eandem alio tempore indignari errore quodam offenſam meo, ob eumq́ue iracundia contra me, & ſtomacho exardeſcere, inq́; ipſo puncto temporis, quo hoc perſpexi, atque articulo ſtatui, multò acriorem morſum eſſe eius doloris, quo tunc afficiebar, quàm illius fuiſſet, quo affectus eſſem antè, quiq́ue mihi iam eſſet leuatus. Imo diſplicuiſſe me ei, cui ſoli placere cuperē, cuiq́ue vt placerem, omni ope, atque opera eniterer, & quidem meo merito me ei diſplicuiſſe, & culpa, id verò ego omnium rerum acerbarum rebar eſſe acerbiſſimum, cunctorumq́ue cruciatuum aliorum, quibus angerer, vim iudicabam, ſenſumq́ue ſuperare. Ego itaque nos ſingulos nunc velim ediſſerere, ſi futurum ſit, vt contra nos excandeſcant, quas amore amplectimur, à ſemetipſis'ne malimus, an à nobis, illæ excandeſcendi habeant cauſam, vt cognoſcere poſſimus, vtrum cum dolore
ſit

sit coniunctum maiore, nosne facere, quod displiceat ipsis, an facere ipsas, quod displiceat nobis. Hoc vt Bembo Aemilia assentiretur, expectabant omnes, sed ea verbum faciens nullum Federicum intuebatur Fregosium, qui signum loquendi sibi dari vidēs, ego, inquit, fas mihi esse cuperem, in sententiam ire cuiuspiam alterius, quemadmodùm interdum facere mos est, quoniā libens probarem ex superioribus ludorum materijs vnam, cùm nulla earum sit, quin mea opinione plena iucunditatis esset, & voluptatis, siquidem ad nos oblectandos aliquam ipsarum hoc placeret tēpore sumere. Sed, vt ego quoque afferam nouam, minimeque communem mihi cum alijs, eū, qui vel Ducis merita ad ingenia quanuis infima illustranda sua diuina virtute contenta silentio transiens laudibus celebrare hanc vellet aulam, sine adulationis statuo suspicione posse dicere, tot homines nobiles, tam singulares, tam rebus non solùm ipsorum professioni proprijs, sed omnino varijs excellentes,

quàm

quàm nũc ſunt nobiſcum, in omni fortè Italia difficiliter poſſe reperiri. Quarè ſi vſpiam homines florẽt, qui merentur, vt aulici dicantur boni, quique iudicare queunt res ad perfectionem morum, & officij aulici pertinẽtes, eos hic verſari, par exiſtimo eſſe credere. Ad reprimendam itaque multorum ſtulticiam, qui, quòd arrogantes ſunt, atque inepti, bonorum ſe aulicorum credunt adipiſci nomen, velim quenpiam ex nobis nunc deligi, cui onus imponatur fingendi, & formandi oratione aulicum perfectum, explicandique membratim cuncta corporis, animi, externaque bona, quæ in illo, qui hoc dignus ſit nomine, requirat, tum fas velim eſſe vnicuique noſtrum, ſiqua parum aptè requirere videatur, parumq; appoſitè, in his contra eum dicere liberè, quemadmodùm in ſcholis philoſophorum aduerſari licet ad diſputandum propoſitas ſuſtinenti quæſtiones. Producebat ſermonem Federicus ſuum longius, cùm Aemilia eum interpellans, hic, inquit, ſi Duci placet, erit ludus nunc noſter.

Mihi verò, inquit Dux, placet. Tūc quasi cuncti circunstantes & Duci cœperunt, & inter sese dicere, hunc ludū omnium fore pulcherrimum, Aemiliæq́; institerunt, vt deligeret, qui initium eius poneret. Quæ ad Ducem referens aspectum, tu, inquit, delige, qui plus tibi est cordi, nolo enim ego vnum potius huic muneri præponens, quàm aliū quasi iudicare videri, quem ad eius functionem aptum esse statuam ante cæteros, & horum cuiquam id faciens iniuriam facere. Age, inquit Dux, delige Aemilia tu, & caue, ne obedientiæ fines transiens imitationem exempli prodas alijs. Tunc Aemilia subridens, ne itaq; temporis plus etiam perdamus, tibi Comes Ludouice has, inquit, partes impono ea conditione, ac lege, qua cuipiam dari Federicus eas voluit, non, quia iam rerum, quæ aulico bono conueniunt, nihil te putemus latere, sed, quòd, si omnia cōtra, quàm veritas postulet, dicas, vt facturum te speramus, ludus videatur futurus certè pulchrior, cuncti enim habebunt, quo tibi refragentur,

cùm

cùm, si alij hæc prouincia daretur, qui plus, quàm tu, illarum rerum saperet, omnem contradicendi aditum eius vera, quam ederet, præcluderet oratio, ludusque sanè esset frigidior. Hic subitò Comes, nõ esset, inquit, periculum, ne deesset, qui contra verum dicentem diceret te Aemilia præsente, deq; eo cùm aliquantùm esset risum, sed ego, inquit idem pergens, perlibenter sanè laborẽ hunc fugerem, plus nimio enim difficilis mihi videtur esse, sentioq;, quod tu dixisti ioco, id esse longè verissimum, præterire scilicet me, quæ aulicum bonum deceant, quod planum nunc facere equidẽ non laboro, cùm ex eo, quod nihil agam illo dignum, quid agendum illi sit, me nescire, existimari possit, habeoq; persuasum, minus hoc mihi posse verti vitio, nolle enim facere, quod sit rectum, quàm, quomodò faciendũ sit, ignorare, cùm sit peius, magis etiam vt vituperetur, nõ dubito mereri. Sed, quoniam omnino Aemilia vis, vt hoc onus ego sustineam, recusare id nec licet mihi, nec libet, vt & legem ludi no-

ſtri obſeruaſſe videar, & iudicio non eſ ſe tuo aduerſatus, quod ego longè antepono meo. Tum Cæſar Gonzaga, qa, inquit, pars non parua iam noctis eſt cõſumpta, ſuntque hic multa apparata genera oblectamentorum alia, fortè expedierit, ſermonem Comitem ſuum differre in craſtinum, dabitur enim ſpatiũ certè ei, quid dicendum ſit, ſecum meditandi, quoniam de re, atque materia ad diſſerendum ipſi ſubiecta verba facere improuiſo, difficile mehercule eſſe puto. Nolo ego imitari eum, inquit Comes, qui, cùm tunicam exuiſſet, minus ſaltabat, quàm ea fecerat indutus, proptereaque percommodè arbitror cecidiſſe, quòd hæ partes mihi datæ ſunt ſerius, potero enim non niſi pauca loqui temporis excluſus anguſtijs, cumq; nõ meditatus aggrediar, paratusque ad dicendũ, fas mihi erit, quicquid primùm venerit in buccam, ediſſerere, omniq; id faciens reprehenſione, vt ſpero, carebo. Ne itaque quaſi debitũ, quo teneor obſtrictus, ſoluere cuncter diutius, ſtatuo, quæ cuiuſq; rei vera ſit, germanaq; perfe-

perfectio, sępe ita difficile esse ad cognoscendū, penè vt humano ingenio à natura denegatum videatur, in causaque varietatem puto esse iudiciorum. Qua fit, vt inueniantur multi, quibus non nisi loquaces placeant, & garruli, sintque alij, quibus magis arrideant modesti, alij, qui actuosos probent, & nunquam quietos, alij item, qui omni in re tranquillis delectentur, & cōpositis, quidq; deceat, hominum circunspicientiū prę se ferentibus speciem. Laudatque, & vituperat quisque alios pro eo, ac ipsi videtur, semper aut vitium virtutis finitimæ tegens nomine, aut virtutem vitij, veluti loquacem vocās festiuum, arrogantem apertum, modestum frigidū, ignorantem probum, malitiosium prudentem, aliosque verbis alijs. Existimo tamen cuiusque rei suam quandam esse perfectionem licet retrusam, atq; abditam, illumque, qui quid cognitum habeat, ac perceptum, eius, quod cognitū habeat, absolutionem iudicare aliquo modo posse rationibus puto, atque argumentis. Sed cùm, quæ reuera hæc sit,

lateat (vt dixi) in occulto, egoque, quæ in aulico inesse debeãt, minimè me glorier intelligentia tenere comprehensa, non possum laudare genus aulicorum aliud, quàm, quod pluris æstimo, nec ꝓbare, nisi id, quod quam similimum puto esse veri ꝓ paruo iudicio meo, quod sequemini, si bonum vobis esse videbitur, vel stabitis vestro, si abhorrebit, & discrepabit à meo. Neque enim nunc pugnabo, atq; enitar, vt meum conuincam melius esse, & certius vestro, quia fieri potest, non solùm, vt vobis videatur quippiam diuersum ab eo, quod videtur mihi, verùm etiam, vt idem nunc rem vnam probans, pòst aliam dissentiam à meipse. Volo itaque aulicum nostrum parẽtibus nobilibus esse natum, generosàque profectũ stirpe, nam multò minus in hominem ignobilem dedecet nihil cum virtute facere, quàm in nobilem, qui, nisi vestigia persequitur maiorum suorum, labem infert familiæ, & non modò gloriam ei nullam acquirit, sed etiam amittit ab ipsa acquisitam. Nobilitas nanq; clarus quasi splendor

dor eſt, qui, quoniam, quæ honeſtè, tur-
piterque homines nobiles faciunt, om
nium ponit in oculis, ad ſtudium virtu-
tis eos incitat tam metu infamię, quàm
ſpe laudis, ignobiles verò, cùm ipſorū
facta ſplendore illo careant, nec veniāt
ſub aſpectum, quibus ad virtutem am-
plexandā ſtimulentur, ſpe laudis, & for-
midine infamię vacant, ijdem nulla ne-
ceſſitate aſtringi ſe, alligarique credūt,
quos ætate ſequuntur, hos virtute an-
teeundi, cùm claro loco orti maculæ ſi-
bi eſſe, & vituperationi putent, res ge-
ſtas maiorum non aſſequi ſaltem, & ad-
æquare. Itaque ſemper ferè accidit, vt,
qui in bellicis, alijſque actibus honeſtis
virtute eminent, ſuntque inſignes in-
ter alios, hi homines ſint nobili genere
nati, quoniam natura in cunctam pla-
nè rem occultum illud ſemē ſparſit cer
tam quandam vim, & proprietatem pri
mi ſui initij propagās ei omni, quod ex
ſe edit, ſemperque hoc ſimile faciēs ſui,
quemadmodùm fieri videmus non ſo-
lùm in diuerſis generibus equorum, cæ
terorumq; animantium, verum etiam

in arboribus,quarum surculi quasi perpetuò similitudinē habent,ex quo trāslati sunt, trunci, &, si interdum ab hoc degenerant,id culpa olitoris,non vitio occulti illius fit seminis.Eodem modo homines,si liberali educatione sunt,doctrinaque exculti, plerunq; similes existunt eorum, à quibus sunt procreati, sæpe etiam his euadunt meliores, sed, si cura caruerunt, & disciplina educatrice,quasi syluestres facti, ac feri nunquā moribus respondent, & virtute maioribus,quanquā non inficior, siue astrorum,siue naturæ concessu id fiat,ac munere,aliquos nasci ita venustos, & habiles,cunctisque tum animi, tum corporis bonis ornatos,vt non nati,sed alicuius Dei manib.ficti esse appareant,quēadmodùm ecōtrariò multi cernuntur adeò inepti esse,atque insulsi,vt natura eos produxisse non nisi per contemptū credi,ludibriumúe possit. Qui vt plerunque proficiunt non multum,quantumuis educatio eis,atque institutio diligens adhibeatur, ita illi paruo labore, & contentione ad summum excellen-

tiæ

tiæ aſcendunt gradum. Ac, vt ea, quæ dicimus, cuiuſmodi ſint, demonſtremus exemplo, en Hippolitus Eſtenſis antiſtes Ferrarienſis, qui cum felicitate hac ſuſceptus eſt in lùcem. Nam & figura corporis, & fàcie, & ſermone, & cunctis motibus præditus eſt ita ſcitè ab ipſa natura, & venuſtè cõformatis, vt inter homines ſui ordinis natu maximos ipſe iuuenis grauiſſimam repręſentans authoritatem magis ad docendum idoneus, quàm doctrinæ indigens eſſe videatur. Idem in cõgreſſu, & ſermone, qui cum cuiuſcunque ordinis viris, & fœminis ei eſt, & iocando, & facetè, vrbaneq; ludendo ſic dulcis eſt, ſic amabilib. ornatus moribus, vt, qui compellet hominem, vel videat ſaltem, atque aſpiciat, is ſumma in ipſum, & perenni beneuolentia propendere cogatur. Sed inter excellentem hanc venuſtatem, & illam ſtolidam inſulſitatem quoddam reperire licet interiectum quaſi medium, poſſuntque ij, in quibus natura quidem venuſtas ineſt, ſed non ita perfecta, & abſoluta, magna ex parte ſtudio eam, & labo

re quaſi limare, & perpolire. Sit itaque aulicus in hoc mihi felix, vt ſuper nobilitatem, & ſplendorem generis nō ſolùm ingenium habeat, figuramq́; corporis, & faciem pulchram, verùm etiã certam quandam venuſtatẽ, quendãq́; (vt nos loqui ſolemus) ſanguinem, qui primo ſtatim aſpectu acceptũ eum reddat videnti, atq; amabilem, quique velut ornamentum componat, & cōmendet omne id, quod agat, in fronteq́; hominis lucens dignum ipſum eſſe oſtendat omnis planè magni principis cōſuetudine, ac gratia. Hic diutius non expectans Gaſpar Palauicinus, ne legem, inquit, ludo noſtro conſtitutam negligere, poteſtatemq́; contradicendi nobis permiſſam parui ducere Comes videamur, in aulico aio claritatẽ generis mihi videri non vſqueadeò eſſe neceſſariam, &, ſi dicturum me putarem rem nouam, noſtrumque alicui incognitam, commemorarem multos, qui natalib. illuſtribus orti vitijs redundarunt, & econtrariò non paucos proferrem ignobiles, qui poſteritatem ſuam virtute illuſtrarunt.

lustrarunt. Ac, si verum esset id, quod tu modò dicebas, cuncta in re inesse occultam illam vim primi seminis, omnium certè hominũ par esset, indifferensque conditio, siquidem idem principiũ habuerint planè cuncti, nec vnus nobilior existeret alio. Ego autem discriminum inter hos, quibus tanquam gradibus quibusdam superiores distãt, & internoscuntur ab inferioribus, multas alias causas esse credo, earumque principatum puto tenere fortunã, cùm omni in re dominari hanc cernamus, quasique ludentem sæpe velut ad cœlũ extollere, quos velit, etiã indignissimos, dignissimos verò, qui extollantur, tanquam ad inferos deprimere, atque demergere. Probo quidem, quod de felicitate dicis eorum, qui bonis tum animi, tum corporis ornati nascuntur, sed id cum nobilitate plebi cernitur esse cõmune, quoniam in naturam non cadũt distinctiones istę tam subtiles, quinimò sæpe (vt dixi) in infima fortuna hominibus summa illius, & illustrissima dona apparent. Proinde, cùm nobilitas hæc

nec

necingenio, necvi, necarte comparetur, ipſumque eſſe nobilem laus ſit maiorum potius noſtrorum, quàm noſtra propria, nimis abſurdum, & auditu mirabile mihi eſſe videtur, velle te, quæ in aulico noſtro ſint præclara, ideò perire, quòd parentibus ſit natus ignobilibus, nec ſatis eſſe, vt ſummus poſſit, perfectiſſimusque euadere, alia illa, quæ aiebas, eum habere, ingenium, faciem, & figuram corporis decoram, venuſtatēque, quæ primo ſtatim aſpectu gratiſſimum ipſum, acceptiſſimumq; vnicuique ſemper reddat. Tum Comes, non inficior, inquit, in hominibus humili loco ortis eaſdem poſſe lucere virtutes, quæ in nobili ſplendent genere natis, ſed, ne repetam, quæ iam diximus, neue multa afferā alia, quæ ad nobilitatis poſſent redundare laudem, cui, cùm cōſentaneum ſit, à bonis vt naſcantur boni, ab omnib. honos eſt habitus omni tempore, quoniam fingendum nobis ſumpſimus aulicū detractis vitijs omni laude cumulatum ſic, vt nihil deſiderari in eo poſſit, & requiri, mihi videtur nobilis

lis faciēdus necessariò cùm alias ob causas complures, tum in primis propter vnam opinionem omnium, quæ de nobilitate, vbicunque ea apparet, subitò existit. Fac enim in aula aliqua esse duos, qui benè, aut secus factis iudicia de se hominum nondum vlla concitarint, quàm primùm palam fiet, & percrebrescet, alterum patre nobili procreatum esse, ignobili alterum, lōgè minoris ab omnib. hic, quàm ille, æstimabitur, multoque labore necesse erit, & sensim longo tempore in animis hominum vt idē hic opinionem de se imprimat bonam, quam ille vnico temporis puncto erit, solaq; ortus sui fama cōsecutus. Quanti autem referat, quantique momenti sit, eiusmodi de aliquo opinionem semel haberi cæptam, vnicuique non difficile est ad intelligendum. Nam, vt verba de nobismetipsis faciā, vidimus hāc domum venire quosdam, qui etsi insipientes fuerunt, summeque inepti, in omni tamen Italia permagnum in aulicis nomen habuerūt, & quanquam stoliditate sua tanquam indicio quodam,

qui

qui homines essent, tandem ipsi patefecerunt, tamen multos de nobis fefellere, inque animis nostris opinionis de se semel insitæ, quasique signatæ vestigia reliquere sempiterna, quātumuis, quæ agerent, facilè cerneremus ex virtute proficisci nō magna. Vidimus alios minimi quidem initiò fieri, sed ad extremum stare præclarè. Atque horum errorum causæ existunt variæ, quarum vna obstinatio est, & pertinacia principum, qui, vt faciāt, quod omnibus moueat admirationem, nonnunquam beneuolentia complectuntur, & beneficijs eos, quos ipsi dignos putant odio, sæpe etiam se fallunt. Sed, quoniam æmulos semper, atque imitatores habēt innumerabiles, quędam de ipsorum beneuolentia longè, lateque diffunditur fama, quam in iudicando ferè homines sequuntur, sique in his, in quos beneuolentia illa nauatur, offendunt quippiā, quod communi sermoni opinentur, & commendationi non respondere, metuunt, ne opinione fallantur, semperq; expectant reconditum aliquid ab ijs, ac singu-

ſingulare, quòd neceſſe vtique eſſe exiſtiment, vt vero nitatur, ex iuſtisq; cauſis manet, quæ omnium mentibus ſit comprehenſa, opinio. Ac, quoniam animi noſtri facilimè tum amorem ſuſcipiunt, tum concipiunt odium, id, quod cernere licet in his, qui, aliquos vel dimicare, vel ludere, vel quoquo modo inter ſe certare dum vident, in vnam ſæpe partem ſunt propenſiores, vtque ea vincat, & vincatur altera, ſummo ſtudio cupiunt, tametſi manifeſta, cur id faciant, cauſa nulla appareat, fama ſeu bona de hominibus, ſeu mala ſtatim, vt auribus eſt accepta, illarum perturbationum mentibus noſtris affert alterutrã, proptereaque frequentius benè, maleue de his opinamur, prout vel amore, vel odio impellimur. Quarè etiam, atq; etiam omnes videte, quãti referat, qua quis de ſe opinione hominum animos primùm imbuat, quantoque ſtudio debeat, & cura eniti, ſtatim ab initio vt imbuat non mala, qui in aulicis haberi volet, & numerari bonis. Sed, vt de officio aulici dicere incipiam & quidem articulatim,

latim, ac distinctè, quod potissimùm profiteri is debeat, existimo esse rem bellicam, voloque, hanc viuida cum alacritate vt obeat plus, quàm cunctas cæteras, volo, fortitudine, eiusque datis specciminibus, & fide erga illum, cui nauet operam, vt sit notus, & inclytus inter alios, quarum virtutum famam ita demum colliget, si actionibus earum se probauerit hominibus omni tempore, atque loco, neq; enim, nisi summa cum labe, atque infamia de hoc curriculo ipsi vnquam deflectere est licitum. Etenim, quemadmodùm sexus fœmineus maculam, quam pudicitiæ semel inussit, nunquam potest eluere, ita, si homo nobilis, qui cum telo est, de se famā vel minima in parte ignauia, vitioue, quod opprobrio illi sit, alio semel maculauit, cum vituperatione ea, ignominiaque coniuncta est sempiterna. Quantò magis itaque aulicus noster cęteris præstabit arte militari, tantò magis, vt laude afficiatur, merebitur. Non existimo tamen perfectam huius, & absolutam cognitionem, cæteráque, quæ in militum

præfe-

præfecto requiruntur, illi esse necessaria, sed, cùm ingenti hæc, immensoque pateant campo, satisfaciet nobis specta ta fidei integritate, (vt diximus) & animi robore, siquidē omni tempore constare in eo sibi videbitur. Sæpe enim in rebus paruis magis animus fortis cerni tur, quàm in cōtrarijs, nam aliqui, cùm res geruntur plenæ periculi, & magni momenti, præsentibusq; geruntur mul tis testibus, etsi cunctis artubus tremūt, atq; exalbescunt penè moriētes metu, tamen vel turpitudinis stimulati verecundia, vel instigati à socijs quasi cum clausis oculis feruntur in discrimina, fa ciuntque (si dijs placet) officium suum, ijdem rebus, vt in discrimina se obijcere habeant necesse, non vsqueadeò pre mentibus cùm declinare ea, & vitare se posse putant sic, vt macula, ignominiaque nulla notentur, facilè in tuto collo cari se sinunt ab animo paruo. Verumenimuerò qui tunc quoq;, cùm, vt vel spectentur, vel videātur, vel cognoscan tur, neutiquam cogitant fore, animosi sunt, & fortes rem nullam etiam mini-

mam prætermittentes, quæ omissa infligere ipsis posset turpitudinē, hi sunt, qui virtutem illam habēt animi magni, & excelsi, quam in aulico nos inesse nostro volumus. Qui idcirco tamē se præbebit non ita ferum, vt continenter magnificis glorians verbis loricam se dicat duxisse vxorem, horrificisque illis vultibus minetur, quos sæpe fingere vidimus Bertum. Nam id genus hominibus iure potest dici, quod in nobili conuentu, ac cœtu præstanti virtute fœmina lepidè dixit, & festiuè cuidam, quem nominare nunc non mihi est in animo. Is & saltare, & sonis musicis aures præbere, & plurimis oblectamentis alijs, ad quæ honoris causa ab illa inuitabatur, vacare recusans cùm eiusmodi rebus leuibus operam dare professionis dixisset esse non suæ, idque repetiuisset sæpius, &, quidnam ergo professionis suæ esse diceret, ab eadē illa interrogatus truci cum vultu respondisset, pugnare, tandem ipsa, cùm, inquit, nunc non sis militiæ, nec, vt pugnes, postulet tempus, feceris sanè perbenè, si te probè vngi, cūque

querebus tuis omnibus ad pugnandū pertinentibus in armamentario aliquo reponi curaueris tantiſper, dum pugnare habeas neceſſe, ne, qui antè rubiginoſus es plus ſatis, rubiginoſus fias etiam magis, ſicque hominem irriſione omnium luſum cū inepta dimiſit, & amenti arrogantia ſua. Sit ergo hic, quē quærimus, in hoſtium conſpectu ferus, & aſper, in eosque ſe immittere ſemper paratus cum primis, in alio loco omni ſit humanus, ſit modeſtus, ſit tranquillus, ac ſedatus, fugiatq; ſuper omnia oſtentationem, impudensque illud laudare ſeipſum, quo ſemper quis odium in ſe concitat, & indignationem eorum, qui auſcultant. Hic Gaſpar, ego verò, inquit, homines præſtantes, in quacunq; etiam re excellant, noui paucos, qui ſibiipſi non tribuant præconia, facilimeque remitti hoc illis, & condonari poſſe arbitror. Qui enim re aliqua valere ſe ſentit, ex ijsque, quæ facit, qui vir ſit, non cognoſci videt ab inſcientibus, grauiter, moleſteque fert, virtutem perpetuò ignorari ſuam, ac neceſſe eſt, vt no-

tam hanc faciat alijs quoquo modo, ne honore ſcilicet fraudetur, qui verũ eſt, propriumq́ue præmium, & merces honeſtarum actionum. Quocirca inter veteres ſcriptores hi, qui lõgè plurimùm anteeunt cæteris, rarò admodùm à laudatione ſuiipſius ſibi temperant. Fateor quidẽ intolerabiles eſſe illos, qui nullo merito ſe laudant ſuo, ſed nõ iam facimus, noſtrum id facere aulicum. Si animaduertiſti, inquit Comes, ego non poſui in vitio, ſiqs ſeipſe laudaret, ſed, ſi quis impudenter, nulloq́ue ad id, quod deceret, habito reſpectu hoc faceret, de eo enim, qui virtutibus eſt præditus eximijs, non meherculè debent, quod tibi dicenti aſſentior, opinari homines malè, ſi modeſtè de ſeipſe prædicet, & pudenter, ac poti⁹ ex huius ore exiens pręconium longè certiori teſtimonio eſſe debet, quàm, ſi ex ore exiret cuiuſquam alíus, pollere ipſum, quibus glorietur, rebus. Etenim, qui ſeipſe afficiens laudibus nec errore aliquo ducitur, nec faſtidium affert audientibus, nec inuidiã horum vllam ſibi conflat, eum ego pru dentiſ-

dentissimum esse iudico, dignissimumque, quem ornent, & cumulent laudibus etiam alij, sanè enim perdifficile id est factu. Quomodò id fiat, inquit Gaspar, tuæ sunt partes, nos docere. Fuit, inquit Comes, etiã inter scriptores antiquos, qui id docuerit, verùm, vt mea fert opinio, summa rei in hoc consistit, vt, dum nos prædicemus, minimè appareat, nos instituisse id facere, sed etsi aliud nobis sit propositum, in mentionẽ tamẽ laudum nostrarum videamur incidere necessariò sic, vt neutiquam has præterire possimus silentio, semperque præ nobis feramus, fugere nos prędicationem nostri, prædicemus nos tamen, sed non ita, vt gloriosi illi faciunt, atque superbi, qui aperiunt os, & inconsideratè sinunt, temereque euolare verba. Quemadmodùm paucis ab hinc dieb. quidam ex nostris, cùm Pisis hasta eius transijsset coxã, visum sibi esse dixit sentire, quòd pungeretur à musca. Alius speculo se vti in cubiculo negauit suo, quòd, cùm irasceretur, tam truculẽtus inciperet, & terribilis esse aspectu, vt, si

in illo se videret, ipse sibi afferret metũ. Hic risum edentibus cunctis, quid, inquit Cæsar Gonzaga, ridetis? Alexandrum Magnum ignoratis, cùm philosophi cuiusdam opinione mundos accepisset esse innumerabiles, illachrymatum, interrogatumque, cur id faceret, respondisse, quia ex illis ne vnum quidem adhuc cœpisset perinde, quasi in animo haberet, capere ad vnum omnes? Nonne vobis videtur hæc maior fuisse gloriatio, quàm, ꝙ ille, cùm grauiter esset saucius, se punctum esse dixit à musca? Etiam mehercule Alexander, inquit Comes, illo, qui hoc dixit, erat homo maior. Sed reuera præstantes viri, & singulares veniam merentur, cùm sibi plusculum ipsi tribuunt, quoniam, cui res magnæ sunt gerendæ, is gerere illas audeat, sibique ipse confidat necesse est, animoque minimè abiecto sit oportet, & vili, verùm sermone vtetur verecundo, ac pudenti semper se ostendens minus sibi arrogare, quã arroget, dabitque operam, vt, quod sibi sumit, consideratè potius sumere, quàm temerè

merè videatur. Ibi,cùm paulùm Comes institisset, Bernardus Bibiena arridens,memini, inquit, paulò antè te dicere,aulicum hunc nostrum forma faciei, & totius corporis pulchra, venustateque illa,quæ tantoperè gratum ipsum omnibus efficeret, à natura oportere esse præditum. Venustatem certè, & pulchritudinem faciei,eamque summam credo ego habere me, quo fit, vt tot fœminæ, quot scis, amore ardeant mei, sed, an figuram corporis habeam talem, qualem tu vis habere aulicum, equidem aliquantùm dubito maximè hæc mea intuens crura, quæ mediusfidius non mihi videntur perinde esse apta,ac vellem,in corporis trunco,& reliquis,non sanè habeo,quod desiderem. Magis incisè itaque, magísq; membratim nobis explica, cuiusmodi corporis formam in aulico esse cupias,vt hæsitatione hac omni leuatus in iudicio acquiescam tuo. Hic risum paulisper cùm esset,certè,inquit Comes, faciei venustatem, quam quæro, habere Bibiena te,verè dici potest, nec ad declarandũ,

quæres ea ſit, exemplo nunc vtar alio, niſi ipſa facie tua, gratiſſimā enim eam eſſe videmus, & placere omnino omnibus, quamuis lineamenta habeat nō admodùm delicata, & tenera quippe virilis. atque hęc venuſtas in multis reperitur, & diuerſis faciebus. Eiuſmodi ergo aulici noſtri volo eſſe faciem, cuiuſmodi eſt tua, minimè ita mollem, & fœmineam, vt habere ſtudent multi non ſolùm calamiſtris ſibi intorquentes comam, è ſuperciliiſque euellentes pilos, ſed etiam omnibus illis, qui laſciuiſſimis, turpiſſimíſque mulierculis vſitati ſunt, ſe fucantes modis, in ſtando item, in eūdo, in omníq; actu alio adeò teneri eſſe apparentes, & languidi, vt parum abeſſe videatur, quin iam, iámque ſoluta eorū dilabantur membra, in loquendo etiam verba efferentes ſono ita debili, & imbecillo, vt inter fandum ſpiritus ipſos defecturus putetur, eóq; hæc facientes magis, quo altiori in dignitatis gradu collocati ſunt homines, qui adſunt præſentes. Quos, cùm fœminæ, quas videri ſe velle oſtendunt, atque eſſe, non

ſe, non facti ſint à natura, par erat non perinde, vt fœminas honeſtas haberi, ſed vt vulgaria ſcorta nõ modò ex principum domibus eijci, ſed etiam à ſocietate hominum nobilium, & communitate omni ſegregari. Verùm, vt veniam ad id, quod Bibiena quæris, iudico figuram corporis nec nimis paruã eſſe debere, nec nimis magnam, quoniã, quę horum quaſi finium excedit alterutro, in certam quandam vidẽtes traducit cum deſpicientia coniunctam admirationẽ, etenim, qui ea ſunt præditi, hi perinde ſpectantur, ac res monſtroſæ, quanquã, ſi in alterutram partem hic peccauit natura, minus mali ſit, extra conſtitutum à nobis terminũ paruitatis ipſam egreſſam peccaſſe, quàm magnitudinis, qui enim corpore ſunt ita vaſto, nõ ſolùm ingenium ſæpe habent hebes, ac tardũ, ſed etiam habilitate deſtituũtur ad omnem agilitatis exercitationem neceſſaria, quam ego admodùm ſanè ab aulico noſtro flagito. Proptereáque volo firma corporis conſtitutione, membríſq; aptè conformatis ipſum eſſe prędıtum,

vt & robore, viribúsq; valeat, & prompta agilitate ad exercitationes corporis, quæ propriæ militum sunt, cunctas habilis sit, atque aptus, in cunctísq; his versatus. Ac earum mea opinione debet esse prima, vt tam humi, quàm in equo probè tractet omne genus arma, hísque alteram vincendi rationem calleat, atque artem, in primis verò mihi vti norit armis, quæ plerunq; homines nobiles vsurpant, nam & in bello hæc sunt vsui, vbi non tam delectus habetur armorum subtiliter, quàm cum hoste pugnatur fortiter, & sæpe inter duos ex illis rixa orta, ac dissidio res venit ad pugnam nullis alijs armis, nisi, quæ eo ipso in temporis articulo habentur ad manus, vt vti his scire pro certissima custodia salutis sit, & tuitione putandum. Neque enim cum illis facio, qui artem tunc, cùm est necessaria, dicunt excidere, nam, qui memoriam eius amittunt in periculo, significationem dant certè, se lapsos animis sensum omnẽ mentis antè amisisse metu. Magni porro mea opinione refert, aulicum scire luctari,

ctari, nam multum ab hoc adiuuabitur in vsu armorum omnium pedestrium. Cui illud quoque est necessarium, vt, quoniam inter duos, quibus de vita, & honore dimicent, incidere possunt certamina, ad suam, amicorumq; vtilitatem controuersiarum, ob quas ad ea certamina venitur, ipsorumq; adeò certaminum peritus sit, ac gnarus, cunctasq; capitalem inimicum ijs vincendi cognitas habeat opportunitates, &, si ipsi talis dimicatio sit cum aliquo, obseruet has attentus vbique semper & animosum se præbens, & prudentem. Nec verò, nisi honorem suum agi videat, & dignitatem, in huiusmodi vitæ, & existimationis discrimen facilè ipse deueniat, vt enim taceam, cum magno periculo incertum pugnæ, & ancipitē coniunctum esse exitum, qui præceps ad illud fertur, nullaque coactus necessitate, quantumuis fortunæ concessu vincat, discedatq; superior, maxima est dignus, & summa vituperatione. Sed, qui dimicationem hanc alicui iam denunciauit, vel ab aliquo sibi denunciatā accepit,

cepit, ad eamq; progressus est tam longè, vt regredi sine macula, referreq; nequeat pedem, is, & in rebus decertationem antecedentibus, & in ipsa decertatione quid agere debeat, statutum cum animo, deliberatissimumq; habeat, alacremque semper se esse ostendat, & animosum, nec imitetur eos, qui disputationibus, atque argutijs decernunt, &, cùm potestatem habeant arma eligendi, quæ velint, ea sumunt, quæ nec scindunt, nec pungunt, tum, quasi expectãdæ ipsis sint globorũ coniectiones maioribus ex tormentis, ita se armant, ac muniunt, cunque esse arbitrentur satis, non superari se, ac vinci, ad vnicam defensionem incumbunt, & tuitionẽ sui, nec, vt vulnera infligant, afferantq; necem laborant hosti, sed ictus huius duntaxat declinantes vsque cedunt, euntq; retro summæ dantes signa timiditatis adeò, vt ludibrio sint ipsis pueris, quale certamen non ita pridẽ inter duos Anconitanos fuit Perusij cachinnos tollẽtibus cunctis, qui id spectabant. Et, quinam erant illi, inquit Gaspar Palauicinus.

nus. Duo, inquit Cæſar, fratres conſobrini. In dimicando, inquit Comes, videbantur eſſe fratres germani, & pergens, ſæpe item, inquit, dant locum armis pax, atque otium in exercitationibus varijs, inque ſpectaculis ante populi, fœminarum, & procerum ora homines nobiles illis vtentes apparent in equis. Quarè aulicum noſtrum volo eſſe perfectum in omni genere equitandi, volo eum non ſolùm equorum, eorumque, quæ ad equitandum pertinẽt, habere noticiam, ſed etiã acri eniti ſtudio, vt omni in re paulùm alijs antecedere, interq; cunctos vnus ſemper emi nere videatur. Etenim, quemadmodũ Alcibiades omnibus nationibus, quibuſcum vixit, in eo præſtitit, quod ſingularum maximè propriũ fuit, & præcipuum, ita noſter hic antecellat alijs vni cuique ea in re, cuius potiſſimùm peritum ſe eſſe profiteatur, & gnarum. Ac, quoniam laus eſt peculiaris Italorum, fræno vti ad voluntatem equitandi benè accommodatè, ratione regere, & tra ctare equos maximè feroces, & indomi

tos,

tos, per annulum pertingere hasta, eademque alicui cõcurrere, in his vincat Italos, in certando conflictu ludicro, in seruando passum, in pugnando intersistente repagulo superet Gallos, in ludẽdo canna, in ferro aggrediẽdo irritatos tauros, in iaciendo pila, & iacula anteeat Hispanos. In primis verò ad cunctũ omnino motum corporis iudiciũ adhibens bonum seruiat venustati, si mereri vult fauorem illum, qui tanti æstimatur, hominum omnium. Sunt pręterea non paucæ exercitationes aliæ minimè illæ quidem directò pendẽtes ab armis, sed quibus tamen cum his multa sit cõuenientia, quibusque satis se quis præstet virum, inter quas vna ex primis mihi videtur esse venatio, cùm certã quandam similitudinẽ hæc habeat belli, oblectetque reuera proceres, & conueniat aulico, in vsu crebro quoque eam accepimus fuisse antiquis. Quin idem etiam mihi sciat natare, salire, currere, saxa iacere, non solùm enim à talibus exercitationibus multùm iuuari poterit in bello, sed sæpe etiam incidet, vt extra

bellum

bellum ſpecimen in his dans ſui ad exiſtimationem dimanet bonam maximè vulgi, & multitudinis, cui neceſſe eſt vtique hominem ſe accommodare. Nobilis item eſt exercitatio, & conuenientiſſima aulico ludus pilæ, in quo multùm videtur conſtitutio corporis, ſolutaq́ue illa agilitas membrorum omnium, & totum id, quod cernitur in exercitationibus quaſi cunctis cæteris. Nec minore laude dignam puto in equo deſultorio ligneo, quæ in volutationibus, & ſaltibus varijs conſiſtit, corporis exercitationem laborioſam quidem illam, & difficilem, ſed agilitatis ſummæ in humanis artubus, & habilitatis effectricē ante cæteras, q̃ exercitatio, ſi venuſtatem ſibi habet adiunctam, ſuper vtilitatem hanc ſpectaculum præbet mea opinione omnium pulcherrimum. Atque in his exercitationibus cùm plus, quàm mediocriter aulicus erit noſter verſatus, contemnendas ei, & omittendas eſſe cenſeo alias illas volutationibus, ſaltibusq́ue ijſdem vtendi in terra, ambulandi in fune, & rerum ſimilium iocularium

larium quaſi, parumque homini conue nientium nobili. Sed, cùm actus hi pleni tanto labore, & contentione virium neutiquam poſſint eſſe continui, vt ſileam, ſatietatem parere vſum nimis aſſiduum rei eiuſdem, háncq; priuare admiratione illa, quam res habent omnes vſurpatæ rarius, relaxare ſe aliquando ex ijs, aliíſque, atque alijs exercitationibus temperare ipſos, & variare aulicũ oportet. Quarè volo interdum ad paulò remiſſiores hunc deſcendere, & quie tiores, vtqúe inuidiam cunctam euitet, & placidiſſimè viuat, amantiſſiméque cum omnibus, faciat, quæ alij faciunt, omnia, attamẽ de curriculo nunquam deflectat longius laudabilium actionũ, optimóque iudicio ſe tanquam nauem gubernans, quod ad ſcopulos ipſum nõ ſinat, quaſiqúe ſaxa appellere ineptiæ, rideat, iocetur, cauilletur, ſaltet, ſed ita, vt ſemper ingenioſum ſe eſſe oſtendat, & prudentem, omníque eo, quod dicat, vel faciat, gratus cunctis ſit, atque amabilis. Non iam herculè, inquit Cæſar Gonzaga, retardare te quaſi in viá debe

rem

rem hũc verborum cursum Comes tenentem, sed, si ego sileã, potestate, quã habeo, non vtar loquendi, cumque rei cuiusdam discendæ sim cupidus, expectationem non expleam desiderij mei, ac veniã mihi dari peto, quòd, cùm contra te dicere deberem, rem illam ex te percontabor, ac quæram, quoniam factu mihi credo fore fas, quod antè Bernardo nostro non fuit nefas, qui plus nimio cupiens haberi homo bellus, interrogando te, non tibi aduersando legem ludi perfregit nostri. Videte, inqt Dux, erroris fęcunditatem, cùm ex vno nascantur plures. Quarè, qui errat, & perinde, vt Bernardus fecit, nocet exẽplo, ei non solùm pœna peccati proprij debetur, sed etiam alieni. Mihi ergo, inquit Cæsar, pœna debetur nulla, & suã enim Bernardus sustinebit, & meam. Imò, inquit Dux, vterque vestrum pœnam sustinebit duplicem, Bernardus, quia peccauit ipse, & te, vt peccares, induxit, tu, quia peccasti, & imitatus es, qui peccauit, alterum. À me, inquit Cæsar, peccatum adhuc est nihil, quarè, vt pœ-

nam hanc omnem Bernardus ſuſtineat ſolus, tacebo, iamque verbum amplius faciebat nullum, cùm Aemilia arridēs, dic ſanè, inquit, quę vis, ignoſcam enim (quod pace tamen fecerim Ducis) & ei, qui commiſit, & ei, qui cōmiſſurus eſt deinceps culpam tam leuē. Facias hoc ſanè, inquit Dux, bona mea cum venia, ſed vide, ne te fallat in maioris meriti laude clementiam, quàm iuſticiam, po nens opinio, ſi enim nimiùm ignoſcitur nocenti, iniuria fit innocenti. Sed nolim ego indulgentiam accuſans nūc tuam ſeueritate mea efficere, vt, quod ſcire cupit, omittat Cæſar ſciſcitari, con feſtimque hic ſigno loquendi à Duce, & Aemilia accepto, ſi benè, inquit, memoria teneo, inculcaſti Comes hoc veſpere ſanè ſæpius, aulicum oportere actus, geſtus, habitus, motus deniq; ſuos omnes grata aſpergere venuſtate, hanc quaſi condimentum quoddam vis eſſe rerum, quas in illo requiris, aliarū omnium, vt, ſi eo careant, funditus perire in ipſò has ſtatuas. Et meherculè crediderim, facilè vnumquenquè paſſurum

hoc

hoc sibi persuaderi, cùm vi, & potestate verbi possit dici, eum esse gratũ, in quo venustas insit grata, sed, quoniam asseuerasti, sæpe naturę hanc, stellarumque beneficio, ac munere homini contingere, &, si contingat nõ vsqueadeò perfecta, mirificè eam studio posse, & labore expoliri, qui tam sunt fortunati, vt ipsa aucti edantur in lucem, quemadmodùm editos esse nonnullos cernimus, alia eiusdẽ ipsius magistra non magnoperè indigent, nisi, à qua proficiscitur, benignitate illa cœli, quippe cuius ductu etiam quodammodò inuiti euolẽt, quàm cupiant, altius, quaque nõ solùm grati existant, sed etiam admirabiles omnibus omnino mortalibus. Quarè de huius generis venustate, cùm, vt eã nobis cõparemus, in potestate nostra non sit, verba nunc nulla facio. Qui verò natura tantũmodò sunt idonei, vt, siquidem laborem, diligentiam, & studium adhibeant, possint esse venusti, hi, scire aueo, qua arte, qua disciplina, &, quo modo queant assequi, vt sint tales non modò in exercitationibus illis corpo-

ris, de quibus sermo tibi fuit hactenus, in quibusq́; tantoperè tu necessarium id esse putas, sed etiam in omnibus ijs, quæ vel dicant, vel faciant. Quarè, cùm hanc, quæ industria acquiritur nostra, tantis laudibus extuleris venustatem, vt eius adipiscendæ in nobis omnibus ardentissimam mihi videaris accendisse sitim, assignati ab Aemilia tibi muneris etiã astringeris necessitate, quomodò adipisci ipsam possimus, nos docendi, cupiditatisq́ue incendiũ restinguendi, quo nos inflammasti. Docere vos, quomodò venustatem, resq́ue, quas ab aulico flagito, cæteras assequamini, nõ meæ, inqt Comes, sunt partes, tantùm onus sustineo ostendendi, cuiusmodi, vt perfectus sit, esse ille debeat. Neque me vobis nũc dabo ad docendum, quà ratione eiusmodi efficiamini, cùm paulò antè dixerim, eundem illum scire oportere luctari, in equo illo ligneo volutationibus, & saltibus se probare, & tot porro res alias, quas qui ego possem docere vos, cùm, quod omnes scitis, nunquã eas didicerim ipse? sed, quemadmodùm

admodùm miles peritus poteſt dicere fabro, qua forma, qua elegantia, qua bonitate debeant eſſe arma, neque tamen faciendi ea, aut cudendi, aut temperandi arte illũ inſtruere poteſt propterea, ita ego fortè vobis potero dicere, qualẽ oporteat eſſe omni perfectionis laude cumulatum aulicum, qua verò tales euadatis, viam vobis commonſtrare, & rationem potero non item. Sed, vt morem tamen geram ſtudio, & cupiditati veſtræ, ſatisfaciamque etiam hac in re vobis, quantùm poſſim, etſi quodammodò in prouerbio eſt, venuſtatem nõ inſeri, & donari ab arte, tamen, qui in actibus corporis illa olim debet eſſe prędìtus, ei, ſiquidem natura ſit idoneus, in quem hoc poſſit cadere, rudimenta ipſius, & incunabula maturè percipienda eſſe dico, & à magiſtris optimis. Ac, quãti hoc referat, intelligi poteſt ex eo, quòd Philippus Rex Macedonũ ab Ariſtotele philoſopho tam claro, & fortè omnium, qui vnquam vixerunt, principe Alexandrum filium ſuum voluerit elementis primis imbui literarum. Et

consíderate obſecro, quàm Galeacius Seuerinas princeps in Gallia præfectus equilis Regij mortalium omnium, qui quidem hac nobis ętate ſunt cogniti, optimè, & venuſtiſſimè cunctis exercitationibus corporis vtatur propterea, ꝙ non modò omnes artus habeat natura ad hoc aptos, atque habiles, ſed etiam vnicè ſtuduerit exquiſitiſſimis magiſtris ſe dare inſtituendum, hominesq́; ſecum habere ſemper præſtantes, &, quod in ſingulis fuit optimum, eius ex illis imitatione ducere ſimilitudinem. Nam, quemadmodùm luctãdi, in equo illo ligneo ſe exercendi, multaq́; armorum genera tractandi ducem habuit, & magiſtrum Petrum noſtrum Montanum, qui, vt ſcitis, vnus eſt omnis extrinſecus accedentis roboris, atque agilitatis verus, germanusq́ue artifex, ita in equitando, in concurrendo alicui haſta, inque omne genus rebus alijs obeundis ſemper intuitus eſt in eos, qui in profeſſione harum longè cæteris præſtiterũt. Iam, qui diſcipulus volet eſſe bonus, is nõ ſolùm in hanc curam incumbet,

bet, vt faciat, quod docetur, benè, verùm etiam omni euigilabit ſtudio, vt ſimilis euadat magiſtro, quin vellem, ſi fieri poſſet, in hunc totum vt ſe conuerteret. Ac, vbi iam ſentit, aliquid ſe profeciſſe progreſſione diſcendi, iuuerit multùm, homines, qui venuſtatis laude floreant, videre diuerſos, prudentique illo, quod ſemper ducis ei volo eſſe loco, adhibito iudicio iam in vno, iam in alio obſeruatas ſeligere ad imitandũ, & coaceruare res varias. Et, quemadmodùm in viridi prato apis ſemper inter herbas delibat floſculos, ita aulicus noſter, dum venuſtatem quaſi furabitur ab his, qui ipſa videbuntur affluere, ex vnoquoque excerpet, quod laudabiliſſimum in eo erit, & optimum, nec faciet, quemadmodùm amicus quidã fecit noſter notus vobis omnibus, q Ferrando minori Arragonũ Regi multùm ſe credebat eſſe ſimilem, cùm nihil, niſi ſæpe extollendi caput, ſimulque ad aurem vnam intorquendi os imitatus in illo conſuetudinem eſſet profectam à morbo. Et verò id genus homines re-

periuntur multi, qui facere se putãt magnũ, si viro alicui magno similes se præbent re aliqua, cùm sæpe imitẽtur eam, quæ vna in illo est vitiosa. Verùm, vt venustatem, quæ à stellis defluit ad homines, nunc omittam, vnde altera illa nasceretur, quam suo Marte hos dixi posse acquirere, dum sæpe, diuq́ue cogitaui, regulam quandam ipsius inueni generalissimam, inq́ue omnia, quæ vel fiant, vel dicantur, latê patentem plus, quàm cunctas cæteras, vt nimirũ, quantùm omnino fieri possit, tanquã asperrimus, periculosissimusq́ue scopulus fugiatur affectatio, inq́ue omni re vsurpetur certa quædam veluti contemptio, quæ occultet, & abscondat artem, indiciumq́ue det, quicquid fiat, vel dicatur, nullo labore, negotioq́ue id fieri, vel dici, quasiq́ue non posita in ipso cogitatione. Ex hoc fonte existimo ego venustatem fluere affatim, quoniam si præclaræ res, & raræ, quarũ omnes scimus difficultatem, paulò facilius fiunt, & ꝓcliuius, maximam in illis efficit admirationem confectio facilis, sin difficulter

fiunt,

fiunt, & operosè, summam eisdem illis adiungit deformitatem ipsum hoc facere laboriosê, quod semper est in causa, vt res etiam alia omnis, quantacunque sit, parui ducatur. Proptereaque potest dici, eam demum veram, & germanam esse artem, quæ ars esse non appareat, estque nulla in re plus studij, atque operæ ponendũ, quàm in tegenda hac, atque abstrudenda, quoniam, si patet, estque aperta, fidem cunctam derogat homini, à quo adhibetur, facitq;, vt existimatio eius sit non magna. Ac legisse me nunc recordor, antiquos quosdam præcellẽtissimos extitisse oratores, qui inter cætera, quæ fecerunt industriè, ope fuerint, & opera omni conuisi adducere cunctos, vt crederent, omnis omnino eruditionis expertes se esse, atque ignaros, hacque dissimulata pre se tulerint, orationes suas ad vnius naturæ potius, & veritatis simplicem ductum se scripsisse, quàm studio, arteque elaborasse, quæ si animaduersa fuisset, & notata, tanquam machinatio quædam ad fallendum instructa metum sui populo

attuliſſet. Quarè conſiderate, quàm res cunctas deformet ars ſe oſtendens, ſtudiumque nimium. Quis veſtrum eſt, cui riſum non moueat Petrus nôſter Paulus ſaltibus illis paruulis, cruribuſque in pedum digitos extenſis tripudians more ſuo, totus quaſi lignum ſit, nihil moto capite, tantaque cum attentione, certo vt videatur cunctos dinumerare paſſus? Ecquis eſt tam cæcus, vt in hoc non videat affectationis deformitatem, & econtrariò illius ad motus corporis adiunctæ contemptionis pulchritudinem nõ cernat, & venuſtatem in multis viris, & fœminis hic præſentibus tum loquendo, tum ridiculè, faceteque iocando, tum ad aliquid ſe applicando oſtendentibus, parum ſe attendere, quod dicunt, aut faciunt, potiusq́; aliud quodcunq;, quàm id, agitare animo, vt hanc opinionem ſcilicet afferãt ſpectantibus, nec ſcire ſe, nec poſſe labi, atque errare? Ibi derepente Bernardus Bibiena, ecce, inquit, etiam Robertus noſter inuenit, à quo laudabitur more ſaltans ſuo, cùm, quando id facit, vobis

alijs

alijs omnibus, vt apparet, sit nō magni. Nam, si excellens hæc decentia, de qua tu Comes disseris, in contemptione est posita, consistitque in significatione data, parum nos attēdere, quod facimus, potiusque aliud quodcunque, quàm id cogitare, Robertus certè in saltando parem omnino habet neminem, qui, vt affatim prorsus ostendat, à iactatione ea corporis abstractas alio ferri cogitationes suas, sæpe ab humeris sibi patitur defluere pannos, crepidasque excidere de pedibus, & neque has, neq; illos tollere curans vsque pergit saltare. Quoniam sanè, inquit Comes, omnino hoc velle Bernarde te video, de vitijs nostris dicam etiam plura. Quod in Roberto contemptionem tu vocas, id videsne illam ipsam, quā tantoperè damno, esse affectationem? Nam penitus ꝑspicitur, toto animo, ac studio omni huc eum incumbere, vt non attendere se ostendat, quod agit, & hoc est, quod agit, attendere nimiùm. Imo, quoniam certos fines, terminosque mediocritatis transit illa contemptio, affectata est,

atque

atque dedecet, cumque hoc vnicum ſibi habeat propoſitum, vt occultet, atq; abdat artem, planè eius, quod efficere nititur, efficit contrarium. Quo fit, vt exiſtimem, in contemptione, quæ per ſe eſt laudabilis, non minus peccare affectando de corpore in terrã labi ſinentem amictus, quàm in cura illa apparendi habitu, & veſtitu eleganti, quæ & ipſa per ſe digna laude eſt, caput tenentem ita firmum, vt metuere videatur, ne, ſi id moueat, compoſitus ipſa motione turbetur capillus, in fundoue tegminis circunferentem ſpeculum ſuper vertice, & pectinem in manica, habentemq; ſemper in plateis puerum cum ſpõgia, & ſcopula à tergo. Nam huiuſmodi & cõtemptio, & accuratio ad duo illa, inter quæ quaſi ſedem ſuam, & domiciliũ res omnis habet laudabilis, plus nimio accedunt extrema ſemper vitioſa, puræque illi ſimplicitati inimica, quæ vſqueadeò grata eſt, atq; accepta animis humanis. Quis non videt, quàm deforme ſit, ſiquis laboret, vt, quaſi ad perpẽdiculum, lineamque directus, & quaſi

flecti

flecti nequeat, equitet, moreq́;, vt nos sum⁹ loqui soliti, Veneto, si alicui comparetur, qui, cùm in equo sedeat, quomodò in eo sedeat, animo nihil anxio videatur, & solicito, sed perinde securo, & soluto esse, ac si incedat pedibus? Quantò magis arridet omnibus, quantò magis ab omnib. laudatur arma portans homo nobilis, qui modestus est, q parum loquitur, parumq́; se iactat, atq; ostentat, quàm is, qui assiduè se extollit gloriando, semperque execrãdo superbê cuncto videtur minari, quasique bellum indicere terrarum orbi? id, quod nihil est aliud, nisi affectatio quędam, qua videri cupit animosus. Ad eundemque modum in cunctis exercitationibus, ac potius in omnibus ijs, quæ vel fieri, vel dici possunt, affectatio dedecet, in ijsdẽ decet contemptio. Hoc ita se habet, inquit Iulianus, etiam in concentibus, in quibus duas nullo interuallo facere voces perfectê consonantes, maximo ponitur in vitio ita, vt eiusdem generis sonum statim repetitum fastidientes respuant, abhorreantque aures, sæpe verò

cædem

eædem vocem ſecundam ament, aut ſeptimam, quæ numerum efficiunt aſperè diſcordantem, & intoleranter. In cauſaque eſt illa perfectè cõſonantium continua iteratio ſatietatem afferens, dansque ſignificationem harmonię oppidò nimiùm affectatæ, quod imperfectè, & perfectè concordantium temperatione quadam quaſi earum collatione facta vitatur. Idque cùm fit, magis ſuſpenſæ tenentur aures, auidiusque expectant, atque hauriunt conſonantes perfectè, & interdum illo ex ſecunda, ſeptimaue quaſi per contemptionem, de qua verba Comes habes, naſcẽte ſono delectantur diſcordi. En ergo, inqt Comes, etiam cantibus affectatio officit, vt rebus cæteris. Quid? quòd quorundam quoque præſtantiſſimorum pictorum veterum ſermone tritum fertur fuiſſe prouerbium, nimiam diligentiam nocere, reprehenſumque ab Apelle eſſe Protogenem quòd nunquã manum ſciuerit tollere de tabula. Tũ Cæſar, idem, inquit, non ſcire mihi videtur Seraphinus noſter monachus ſaltem,

cùm

cùm epulas videt nondum esse penitus sublatas. Risit Comes, &, volebat, inqt, Apelles dicere, in pictura Protogenem nescire, quod esset satis, idque carpere eum erat rerum imagines pingentem affectatè. Atque hæc virtus, quam contemptionem nunc sanè vsurpamus, cō traria affectationi super venustatem, cuius verus, vberq́; fons est, affert, quod hominem, in quo inest, ornet, præterea aliud, idq́ue cum actionibus huius quibuscunque est etiam minimis coniunctum. Non solùm enim statim indicio est, ipsum, siquid faciat, eius, quod faciat, esse peritum, verùm sępe etiam est in causa, vt multò, quàm reuera sit, idem ipse habeatur peritior. Opinionem enim illa inserit circunstantium animis, siqua nullo labore quis facit benè, longè plura ipsum scire facere, quàm faciat, sique in his, quæ facit, curam poneret, & industriam, longè ea facere posse meliora. Ac vt ijsdem vtar exemplis, siquis, qui tractat arma, quasi ad missile aliquod iaciendum, aut pugno tenēs ensem, armorumue genus aliud quasi ad

pugnan-

pugnandum ſe accommodat nulla in eo poſita cogitatione tam ſolutè, tam prompta cum habilitate, tamque facilè, vt quaſi ipſa à natura toto corpore, artubusque cunctis ſic accommodari videatur nullo labore, ac negotio, etſi, niſi quòd ſic ſe accommodat, aliud agit nihil, tamen id, ad quod quaſi faciendũ ſic ſe accommodat, perfectiſſimè indicat, cumulatiſſimeque ſe poſſe præſtare. Similiter paſſu vnico, vnico motu corporis concinno, non laborioſo, & coacto ſubitò peritum ſe eſſe oſtendit ſaltandi, qui ſaltat. Muſicus item voce vnica, quam in cantando nunc elatam, nunc depreſſam, variatisque modis coloratam terminat ſuauiter cum tanta facilitate, planè vt fortuitò hoc ei ita ſuccedere videatur, ſignificationẽ dat, multò, quàm facit, plus ſe ſcire facere. Ad eundem modum pictor quoque linea vna, vna alia re vel minima, quã penicillo ponit in tabula neutiquam operosè adeò, vt, quo ire debeat, eo non ſtudio, arteue vlla videatur, ſed vnius naturæ ductu ferri manus ad voluntatem artificis

tificis accommodatè, excellentiam in pingendo ſuam patefacit, de qua vnuſq; quiſque dein ſtatuit pro intelligentia, iudicioque ſuo. Eademque contemptionis vis eſt in rebus quaſi cunctis cæteris. Habebitur ergo aulicus noſter excellens, affluétque venuſtate in re omni, & maximê in loquẽdo, ſiquidem fugerit affectationem. Qua vt peccent, faciunt multi, interdúmque quidam Inſubres noſtri plus cæteris, qui, cùm annum vnum domo abfuere, reuerſi ſubitò ſonare (ſi dijs placet) incipiunt quiddam Romanum, nonnunquam quiddam Hiſpanienſe, aut Gallicum, ídque faciunt nimia cupiditate oſtendendi, ꝙ ſapiant affatim, ſic ſtudium, curámque homo ponit in vitij odioſiſſimi conſectatione. Ac ego ſanè laborem ſuſtinerem non paruum, ſi in ſermonibus his noſtris vſurpare vellem verba illa Thuſcorum veterũ, quæ apud poſteros eorũ de cõſuetudine hodiè ſunt ſublata, derideretq; credo id faciens à cunctis. Tum Federicus, certê, inquit, ſi inter nos colloqueremur, quemadmodùm nunc fa-

facimus, fortè nostra erraret oratio antiquis Thuscorũ vtens vocabulis, quoniam non solùm, quod tu dicis, loquentibus, verùm etiam audientibus illa exhiberent negotium, essént q; multis sanè difficilia intellectu. Sed, qui componeret aliquid, ac scriberet, eum ego crederem facere rectè, si vetusta potius, quam recentia, verba vsurparet, afferũt enim certè multum venustatis illa scriptis, atque authoritatis, suáq; adeò linguam quancunque vocabula antiqua longè, quam his opposita, reddunt grauiorem, quasiqúe maiestate eam cumulant, atque adaugent. Equidem non video, inquit Comes, quam venustatem possint, vel authoritatem scriptis accerscre vocabula, quæ fugienda sunt, & vitanda non solùm in sermonis genere hoc nostro, in quo quidem fugienda tu ipse ea fateris, verùm etiam in genere quocunq;. Si enim aliquis iudicio præditus bono in senatu ipsius Florentiæ, quæ princeps Thusciæ est ciuitas, de rebus grauibus haberet orationem, vel de negotijs magni momenti loqueretur

tur ciui, qui cum dignitate esset, vni in ea vrbe priuatim, vel etiam cum familiarissimis lepidos conferret, & iucundos sermones cum fœminis, virisue nobilibus de amore garriēs, venustéue ludificans, aut iocans in lætis conuentibus, in ludis, in quibuscunque oblectamentis alijs, in quocunque tempore, in quocunque loco, in quacunque re proposita, minimè (certò enim hoc scio) committeret, vt illa à Thuscis antiquis mutuaretur vocabula, sin mutuaretur ipsa, & sumeret, non solùm faceret, omnium vt risu luderetur, verùm etiam fastidij non parum afferret cunctis, qui auscultarent. Ponere itaque scribēdo pro bonis verba illa, quæ vitiosa in omni putantur, & declinãtur genere sermonis, statuereque, ac velle, sensa mentis explicandi modum, qui nunquam deceat in locutione, multò maximè decere in scriptione, alienum admodùm, abhorrensque ab eo, quod ratio postulat, esse puto. Est enim, vt mea fert opinio, scriptura nihil aliud, nisi forma quædam loquendi permanens, quasique imago, ac

potius vita verborum. Proptereáque in locutione, quæ ſubitò, cùm vox eſt emiſſa, diſperit, fortè res aliquę ſunt tolerabiles, quę non item ſunt in ſcriptione, quia hæc conſeruat, & cuſtodit verba, vt iudicium ſubeant legentis, diutiúsque conſiderandi ea, & ponderandi ſecum affert ſpatium. Qua de cauſa meritò etiam plus ſtudij in eadē hac emendanda collocandum eſt, & perpoliēda, non tamen vt è calamo verba hauriat charta ſimilitudinem nullam habentia exeuntium ex ore, ſed, vt ex illis, quæ vſurpamus, cùm loquimur aliquid, elegantiora deligamus, & venuſtiora, cùm aliquid ſcribimus. Sanè, ſi, quando hoc facimus, fieri fas eſſet, quod, quando facimus illud, fieri eſt nefas, res exiſteret mea opinione multò abſurdiſſima, haberent enim laxiores licentiæ habenas homines ea in re, in qua arctioribus ſtudij vinculis ſunt aſtringendi, quæque in ſcribendo ponitur, vt conducat, noceret induſtria. Quicquid itaque in ſcribendo eſt aptum, idem aptum eſſe in loquendo, certum eſt, etenim ille demũ

ſermo

ſermo eſt elegãtiſſimus, qui ſcriptis eſt elegantibus quàm ſimilimus. Exiſtimo porro multò magis eſſe neceſſariũ, quæ manus chartis, literisq́; mandat, quàm, quæ os, linguaq́; effert, percipere, quoniam ſcriptores nõ ſemper præſto ſunt legentibus, quemadmodùm audientibus ſunt loquentes. Ego itaque laudarem non ſolùm fugientem multa vocabula Thuſcorum veterum propria, verùm etiã tam ſcribendo, quàm loquendo audacter vſurpantem vſitata hodiè in Thuſcia, partibusq́ue Italiæ reliquis, quæ quidem venuſtatem haberent, voluptateq́ue perfunderent pronunciata aures. Videturq́; mihi, qui aliam legem ſibi imponat, eũ difficulter cauere poſſe, & declinare affectationem vitium illud, de quo anteà dicebamus, tantoperè vituperatum. Ibi Federicus, non poſſum Comes inficiari, inquit. ſcripturam modum quendam eſſe loquendi, attamen locutionem, ſi in vocibus, quæ ea vſurpantur, nonnihil inſit obſcuritatis, fugere dico, & præteruolare intelligentiam audientis, quaſiq́ue prętervectam

cognitionem eius, & perceptionem vanum fieri, inutilemq; sonum, id, quod non item vsu venit scriptis. Quoniam, si verba, quæ in his vsurpantur, aliquid habent significationis, & potestatis reconditæ, minimeque tam apertæ, ac notæ, quàm vsitata habent, & trita in loquendo, certa quadam illa donant, maioreque, quàm hæc, orationem authoritate, & faciunt, vt magis suspensus teneatur lector, magisque attentus in rerum, quæ ipsis significantur, contemplatione, vtque ingenio delectetur, & doctrina scriptoris, iudicioq; bono ad considerandi laborē paulùm adhibito sentire incipiat, & gustare voluptatem illā, quæ cum difficilium est, & abstrusarum rerum comprehensione coniuncta.
Quòd si inscientia eius, qui legit, ignorantiaque est tanta, vt vincere hanc difficultatem ingenij nequeat lumine, atque acie, in culpa non est scriptor, nec inelegans, qua hic vsus est, haberi idcirco debet lingua. Ego itaque credo, in scribendo ponenda esse verba propria Thusciæ, eaque ab antiquis duntaxat

huius

hui⁹ vſurpata habitatoribus. Ipſe enim vſus verborum vetus magnũ teſtimonium dat approbatum tempore, bona illa eſſe, quodq́ue ipſis ſubijcitur, id ritè exprimere. Quin eadem venuſtatem etiam, & venerationẽ illam habent, quæ ab antiquitate proficiſcitur non ſolum ad vocabula, verùm etiam ad ædificia, ad ſtatuas, ad picturas, ad remq́ue omnino cunctam, quæ quidem nõ ipſa intercidens tueri ad ſe profectam, & conſeruare poteſt. Sæpe item hoc ſolo antiquitatis ſplendore, & dignitate elocutionem reddunt bellam, cuius vi, ac poteſtate res omnis quantumuis humilis ornari poteſt, & illuſtrari, vt ſummam laudem, ampliſſimamq́; mereatur. Tua verò iſta conſuetudo, quam tanti facis, ac æſtimas, admodùm periculoſa mihi eſſe videtur, ſæpenumerò fieri etiã poteſt, vt ſit praua, nec, ſi apud multos imperitos increbuit mos vitioſus loquendi, idcirco hunc vt regulam puto habẽdum, ad quam aliorum componatur, & formetur ratio. Præterea conſuetudines multum variæ ſunt, ac diſpares, nec

est sanè ciuitas vlla Italiæ nobilis, quæ non propriam habeat, & peculiarem rationem loquendi, discrepantemque à rationibus reliquarum omnium. Quarè non suscipiente te onus aperiẽdi nobis, & declarãdi, quæ ex his anteponenda sit, & anteferenda cęteris, posset quis tam ei, quæ Bergomi vsitata est, quàm ei, quæ vsitata est Florentiæ, adhærescere, & neutiquam erraret iudicio tuo. Ego itaque puto, qui, an scribat rectè, vacare omni dubitatione voluerit, & scrupulo, ei necesse esse, vt vnum è multis sibi proponat ad imitandum, qui consensione omnium bonus sit, ac potius princeps cæterorum, huncque tanquã ducem sequatur, & instar scuti habeat aduersus cunctos, siqui existant, reprehensorum impetus, atque cum in lingua nostra vernacula, nisi Petrarcham, & Boccacium, statuo debere esse neminem, vt, qui ab horum duorum deflexerit vestigijs, illum tanquam in tenebris vagantem absque lumine pedetentim ingressurum putẽ, & tardè semper metuentem, ne vspiam incurrat, nec rarò

à

à via recta arbitrer aberraturum. Sed nos præfractiores sumus, & obstinatiores, quàm, vt in imitationem, quod antiqui illi scriptores fecerunt boni, omni studio dignemur, industriaque incumbere, sine cuius adminiculo statuo benè scribere posse neminem, eiusque rei testis locuples mihi videtur esse Maro, qui, etsi ingenio illo suo, iudicioq; tam diuino posteris omnibus spem cunctã feliciter imitãdi sui præcidit, imitari tamen, & effingere ipse Homerum, eiúsque similis poemate condendo haberi voluit. Tum Palauicinus, hæc disputatio, inquit, quid, vt scribat benè, facere debeat aulicus, reuera perdigna est auditu, sed magis ad propositum nostrum tua Federice, Comitísque quadraret oratio, si, quomodò loqui ille deberet, nobis ostenderet, existimo enim opus ipsi esse, lingua, quàm calamo, vti sæpius. Imo dubium non est, inquit Iulianus, quin aulicum tam præcellentẽ, & perfectum vtrunque scire oporteat necessariò, &, si harum facultatum careat alterutra, reliqua omnia in eo preclara pa

rum futura ſint digna laude. Quarè, ſi officio ſuo Comes, ac munere nobis volet ſatisfacere, viam benè non modò loquendi, verùm etiam ſcribendi aulico monſtrabit. Tum Comes, has partes, inquit, ego Iuliane mihi non ſumã, valde enim eſſem ineptus, ſi docere vellẽ alios, quod neſcirem ipſe, vel, vt maximè ſcirem, paucis me poſſe verbis confiderẽ aſſequi, quod tanto ſtudio, támque multa opera vix homines eruditiſſimi effecerunt, ad quorum monumenta reijcerem aulicum noſtrum, ſi deuinctus ſanè eſſem neceſſitate docẽdi eum ſcribere, ac loqui. De vernacula, inquit Cæſar, non de Latina locutione, & ſcriptione Iulianus, quod dixit, ſenſit, quarè monumenta illa hominum eruditiſſimorum nihil ſanè pertinent ad inſtitutum præſens, ſed neceſſe eſt, vt, quomodò loqui, & ſcribere debeat, ipſe aulicũ Comes erudias, ſin huius te fugerit aliquid, ac præterierit, dabimus veniã tuæ de re ignota conticeſcenti orationi. Quin id iam feci, inqt Comes, ſed, quoniam de lingua Thuſca inter Federicũ,
&

& me est controuersia, fortè ad Iulianũ magis spectet, quàm ad alium neminẽ, iudicis sustinere partes. Ego, inquit Iulianus, nec possum, nec debeo, qui linguam Thuscam elegantia dicat anteire linguis reliquis, ei meritò, ac iure reclamare, quanquam est sanè verum, multa vocabula in Petrarcha, Boccacioque reperiri, quæ ab vsu nostro tẽpore sunt intermissa. Eaque ego nunquam committerem vt vel ex ore meo exirẽt, vel fluerent è calamo, crederemque, hos ipsos etiam duos, si in vita adhuc manerent, eadem neutiquam amplius esse vsurpaturos. Quinimò ea vsurparent, inquit Federicus, vosque Thusci alij incumbere debebatis ad linguæ vestrę instaurãdas reliquias, nec sufferre, ac perpeti, quod facitis, hanc ita concidere, quoniam dici potest, minorem eius in ipsa vrbe Florentina, quàm in multis locis Italiæ alijs, hodiè existere noticiam. Voces, inquit Bernardus, quas Florentia desijt vsurpare, apud rusticos residẽt in pagis, quasique corruptæ senio ab hominibus pridem nobilibus spretæ sunt,

ac

acreiectæ. Tum Dux, non egrediamur, inquit, declinemusquè à proposito, sed faciamus, vt loqui Comes doceat aulicũ, & scribere benè, siue id lingua Thusca fiat, siue alia sanè quacunque. Ego, inquit Comes, iam Dux exposui, quæ sapio, statuoque, regulas easdem, quomodò ille loquatur, valere ad docendum, quibus, quomodò scribat, doceri possit, sed, quia iussu hoc factur⁹ sum, mandatoque tuo, respondebo sanè id, quod in mentem mihi veniet, Federico, cuius opinionem dissidere video, ac discrepare à mea, & fortè paulò, quàm cõueniat, dispersius verba faciam, & diffusius necessariò, sed hoc erit, quicquid afferre potero, ac dicere. Principiò itaq; sic iudico, linguam hanc nostram vernaculam, quam vulgarem vsurpamus, primùm nuper velut natam esse, ac nouam, quantumuis Italia diu ea sit locuta, quoniam cùm non solùm vexarent hanc quondam, & depopularentur, sed etiam longo tempore habitarent gentes barbaræ, infusæ in eam peregrinitatis commercio lingua Latina corrum-

pi

pi cœpit, & inquinari, ex qua corruptione ortæ ſunt linguæ aliæ, &, quemadmodùm flumina in Apẽnini iugo diuortium faciunt, inque duo maria influunt ſuperum, atque inferum, ita hæ ipſæ etiam ſeparatę fuerunt & ſeiunctę linguæ, quædamque Latinitate tinctæ diuerſis vijs in varias terrarum partes quaſi decurrerunt, vna barbarie turbida curſũm ſuum Italię finibus terminauit. Hæc diu incondita fuit, vocumque, & elocutionum vndique arreptarum vſurpatione ſui diſpar, & anceps, cùm nemo in ea ad conſtantem loquendi, & ſcribendi rationem traducenda elaboraret, nemo quicquam ea ſcriberet, nemo ſplendorem ei vllum afferre euigilaret, aut leporem accerſere, ſed excoluit ipſam dein, & expoliuit aliquãtùm Thuſcia præ prouincijs Italiæ alijs, videturque propterea flos eiuſdem ipſius inde à primis temporibus ad noſtram vſque memoriam ſemper apud Thuſcos remanſiſſe, cùm venuſtos quoſdã, ſuauesque in pronuntiando ſonos, inque oratione tum loquendo, tum ſcribendo

bendo aptè ſtruenda, & decenter leges, regulasq́; Grammaticas hi ſeruauerint præter cæteros, habuerintq́ue tres eximios ſcriptores, qui ingenioſè, & vocabulis ſuo ſæculo tritis cogitata mentiũ expreſſerunt, quod in verſibus ſcriptis amatoriè multò felicius, quàm alijs, Petrarchæ arbitror ſucceſſiſſe. Naſcente dein non ſolùm in Thuſcia, ſed in omni planè Italia, creſcenteq́ue cum tempore ipſo inter homines nobiles & in aulis, & in caſtris, & in literis verſatos ſtudio quodam loquendi, & ſcribendi elegantius, quàm prima illa ætas fecerat rudis, atque horrida, cùm calamitatum quaſi incendium à barbaris excitatum nondum etiam tunc eſſet reſtinctum, plurima verba reiecit tam Florentia ipſa, & tota Thuſcia, quàm Italia reliqua, eorumq́ue in locum aſciuit alia, & facta eſt eadem mutatio verborũ, quæ fieri ſolet rerum humanarum omnium, eaq́ue non noſtræ fuit linguæ vni propria, ſed communis huic cum reliquis omnibus cuncto tempore. Si enim priſco ſermone Latino ſcriptos libros

bros à vetustis temporib. quasi per manus traditos nostra memoria accepisset, cerneremus profectò aliter locutos fuisse Euandrum, & Turnum, cæterosque Latinos illorum æquales, ac dein locuti sunt reges Romanorum vltimi, & primi consules. En versus, quos olim cecinerant Salij, vix intellexerunt posteri, sed, quia à primis Martis flaminibus, vt sic facti canerentur, fuerat institutum, reuerentia, & veneratione religionis à mutatione eorũ homines abstinuerunt. Subsecutis pòst temporib. nõ minus, quàm reges illi vltimi, & primi consules, oratores quoque, & poetę plurimis vocabulis vti omiserunt, quæ superioribus ætatibus fuerant vsurpata, multa Catonis vitarunt Antonius, Crassus, Hortensius, Cicero, non pauca Ennij Maro, feceruntque idem alij, qui etsi reuererentur antiquitatẽ, & dignarentur honore, neutiquam tamen æstimarunt eam tanti, ita vt ipsi deuinctos se esse vellent necessitate imitandi, quemadmodùm nos tu Federice vis esse hodie, etenim, vbicunque illis videbatur,

batur, reprehendebant eandem ipſam, & redarguebant, vt Horatius dicit veteres ſtultè laudauiſſe Plautum, compararique vult vocabula rerum poſſe noua. Cicero etiam multos, qui ante ipſum floruerunt, paſſim increpat oratores, & Seruium vellicans Galbam eius orationes affirmat redolere antiquitatem, teſtaturque item Ennium nõnullis in rebus deſpicatui duxiſſe ſuperiorum temporum poetas, vt, ſi imitari vellem' antiquos, illorum ſaltem imitatione ſuperſederemus. Quid? quòd Maro Homerum, quem, vt tu Federice vis, imitatus eſt, nõ in eadem imitatus eſt, adumbrauitque lingua. Ego itaque verbis antiquis nunquam vterer, niſi certis omnino in locis, in ijſdemque raró, & inſolenter, videturque mihi, qui aliter illis vtatur, in errore verſari non minore, quàm, qui, vt imitetur antiquos, glande veſcatur in vbertate hac, copiaq; inuentarum frugum. Ac, quoniam tu aſſeueras, verba antiqua ſplendore duntaxat vetuſtatis adeò exornare res, atq; illuminare poſſe etiã minimas, vt multa

ta eas reddant dignas laude, ego illa nō puto, ſed ne ipſa quidem bona magni facienda eſſe meritò, ſi ſuccum habeāt, & ſanguinem nullum elegantium ſententiarum, nam has ab eis ſeiungere, & ſeparare, animam diuellere eſt, & diſtrahere à corpore, quorum nec hoc, quin homo extinguatur, nec illud, quin inanis, inutilisque ſonus exiſtat oratio, fieri herculè poteſt. Illud igitur, quod in primis ad rem pertinere, aulicoque ad benè loquendum, & ſcribendum potiſſimùm neceſſarium eſſe puto, eſt ſapere res dignas cognitu, quoniam, niſi perceptas has antè, & comprehenſas habeat animus, nec lingua eas loquēdo, nec manus ſcribendo poteſt exprimere. Dein, quæ dicenda ſunt, aut ſcribenda, ea concinno diſpenſare oportet, & diſponere ordine, tum verò benè eloqui verbis, quæ, niſi me fallo, debent eſſe ꝓpria, lecta, ſplendida, probè compoſita, & coagmentata, in primis verò popularia, atque vſitata, quia hæc ipſa gignūt in oratione ſpeciem, & pompam, ſi, qui loquitur, iudicio valet, adhibetque dili

gentiam, & pollet ſcientia ſumendi ea, quæ ad hoc, quod inſtituit dicere, ſignificandum maximè appoſita ſunt, atque idonea, quaſiq́ue ceram ad arbitrium ſuum formans, & fingens orationem altè quodammodò ipſa extollere, collocareq́ue tam illuſtri loco, & tam decenti ſerie nouit, vt, quemadmodùm pictæ tabulæ in ſuo poſitæ bono, & naturali lumine, primo ſtatim aſpectu dignitatem ſuam oſtendãt, & ſplendorẽ. Confirmoq́ue hoc tam de ſcriptione, quàm de ſermone, in quo tamen res quædam requiruntur, quę in illa non ſunt neceſſarię, quod genus primùm eſt vox bona nec nimiũ attenuata, aut mollis, vt muliebris, nec ita auſtera, & horrida, vt ruſtica, ſed canora, clara, ſuauis, ſcitéque compoſita, dein pronuntiatio cum expedita, & profluente coniuncta celeritate, geſtúſque aptus, & decorus, qui, vt mihi videtur, in certis quibuſdam totius corporis poſitus eſt motibus neq; affectatis illis, neque coactis, ſed temperatis tum vultu, qui ipſis ſit accommodatus, tum oculorum conicctu, qui venuſtatem

nustatem afferat, concordétque, ac congruat cum verbis, simúlque cum gestu ipso, quantùm maximè possit, sensa significet, affectionésq; animi in eo, qui loquatur. Sed hæc omnia inania erunt, nulliusque momenti, & ponderis, nisi sententiæ elatæ verbis fuerint bellę, fuerint ingeniosæ, fuerint acutæ, fuerint elegantes, fuerint graues pro eo, ac tempus, necessitasque postulet. Hic Federicus, vereor, inquit, ne, si vsqueadeò eleganter aulicus loquatur, & grauiter, aliqui nostrum sint, qui, quod dicat, nequeant percipere. Imò, inquit Comes, percipiet hoc vnusquisque, non enim est necesse, vt, qui sit elegans, idem difficilis sit, sermo. Neque ego volo, semper de rebus grauibus eum loqui, & seueris, sed nonnunquam in iucundis, lepidisque versabitur in iocis, in salibus, in venustis, ridiculisque ludificationibus tempori seruiens, & (vt dicitur) scenæ, ad quas res omnes tamen orationem afferet tinctam sensu, huiusque facultatē expeditam, tum copiam nō confusam, & perturbatam, cauebitque omnino,

ne vlla eius in parte vanus videatur esse, aut pueriliter ineptus. Quòd si de rebus obscuris ei, aut difficilibus erit sermo, & verbis, & sententijs probè distinctis, quod vult dicere, explicabit subtiliter, atque argutè, ambiguitatemq; omnem oratione plana vitabit, & dilucida diligentiam adhibens vacuam à molestia. Similiter, quoties opus erit, vehemens, acrisque esse, & vibrare eius sciat oratio, concitareque, & perturbare auditores cunctis motibus, quos animis humanis quędam innata vis inseruit, & inflammare illos, incendereque his tanquam quibusdam facibus, adeoque impellere ipsos, quo velit, vnde autem velit, deducere, & reflectere, sin tempus, resque poscet, sciat remissa eadem esse, ac placida, quasique loquatur ipsa natura, simplici candore eosdem illos auditores delinire, & facere, vt velut ebrij redditi dulcedine à mente, atque à se quodãmodo videantur discedere, hæcque omnia adeò calleat præstare facilè, vt, qui adsit, atque auscultet, nullo negotio se confidat similem dicendi pos-

se

ſe aſſequi facultatem, cùm verò experiatùr rem, ac tentet, procul ab illa ſe videat abeſſe, quaſiq́ue longiſſimo interuallo ipſam, ſpatioq́ue ſequi. Vellem ego Federice aulicum noſtrum loqui, & ſcribere hoc modo, nec ſolùm probarem, ſi verba ſplendida, & elegantia ex omni aſſumeret Italia, verùm etiam laudarem, ſi dictiones illas Gallicas interdum vſurparet, & Hiſpanas, quæ in conſuetudinem nunc noſtram venerunt, ſiquidem intelligi poſſe ſperaret, & percipi res, quas ipſis ſubijceret. Nonnunquam placeret mihi, ſi tanquam ab arboribus ſurculos verba à rebus, quarũ ſunt propria, transferret, quaſiq́ue melioribus truncis rebus inſereret alijs, vt maiori cum pulchritudine florerent, & venuſtate, ijsq́ue hæ res ita ſtatuerẽtur ob oculos, penè vt tangi poſſent manibus cum delectatione, & voluptate eius, ꝗ vel audiret ipſa, vel legeret. Quin vellem, vt idem non refugeret interdũ, & reformidaret vocabula, & orationis ornamenta fingere noua, eleganterq́; hæc ad nos traducere accepta à Latinis,

quemadmodùm Latini ipſi olim ad ſe transfuderunt hauſta à Græcis. Statuoq́ue, ſi inter homines literatos, ingenioq́ue, & iudicio bono præditos, qui nunc ſunt nobiſcum, aliqui contendere vellēt neruos, vt noſtra in lingua hoc genere ſcriptionis, & ſtyli res lectu dignas mandarent literis, breui cultã eam nos viſuros, & abundantem tum vocibus, tum exornationibus bellis, nec vlli alij facultate concedentem rem quancunque dictione explicandi, quòd ſi ipſa lingua Thuſca antiqua non eſſet, eſſet tamen Itala, eſſet communis, eſſet copioſa, & varia, quaſiq́ue hortus quidam amænus florum, fructuumq́ue varietate refertus exiſteret. Neque hoc fieret nouo more, atq; inuſitato, quoniam ipſi quondam ſcriptores Græci è quatuor linguis ſuis, quibus vſi fuerũt, ſingulis nunc voces, atq; elocutiones, nunc illa verborum, & ſententiarũ inſignia, prout commodè hoc illis cecidit, tanquam riuos quoſdam ducentes fecerunt quaſi flumen nouum linguam aliam, eamq́ue communem, & has linguas

guas quinque vnius nominis complexu, & societate coniunctas linguā Græcam vsurparunt, ac etsi Attica fuit elegans, fuit pura, fuit ad dicendum copiosa plus, quàm ceteræ, non propterea tamen scriptores boni, qui ortu Athenienses non fuere, hanc ita affectarunt, vt ex ipso scribēdi modo, ex eoque, quod sermonis, quo domi matre magistra loqui didicerant, esset proprium, & naturale, quodam quasi ex odore nō cognoscerentur, &, quanquam id facere omiserunt, non despecti tamen idcirco fuerunt, nulloque loco habiti, quinimò illi, qui nimiùm scitè videri voluerūt, nimiumq; Atticè loqui, in reprehensionē omnium incurrerunt. In scriptoribus similiter Latinis magnum nomen habuerunt multi, quibus Roma non fuit patria, quanuis in eorum oratione minimè eluxerit munditia illa Romanæ linguæ propria, quam rarò admodùm externi, alibíque nati assequuntur. In mentem tibi veniat Liuij, & Maronis, quorū etsi ille lingua Patauina, hic non Romana loqui est dictus, haud tamen,

quæ eos carpsit, eadem de manibus hominum excutere potuit, iudicij seueritas. Etenim non paucos præterea scriptores Romæ scis lectos fuisse, magníque ęstimatos natione barbaros. Et nos multò seueriores scilicet antiquis certas quasdam nobisipsi imponimus leges nouas, quæ nihil ad rem pertinent, quasiqúe via recta, quæ ante oculos est, ac trita relicta p diuerticula, flexionésq; incedentes in lingua nostra propria, cuius est, quemadmodùm cæterarum omnium, officium, ac munus probè, perspicuéque exprimere, quæ animo cōcipimus, obscuritate delectamur, & caligine, dúmque eam nominamus vulgarē, vocabulis in ipsa vtimur, quorum non solùm vulgus, verùm etiam ipsi homines nobiles, & literati nullam habēt intelligentiam, quæqúe ab vsu quotidiani sermonis vbicunque terrarum iam diu sunt intermissa, nec nobiscum reputamus, atque attendimus, cunctos veteres scriptores bonos reprehendere, ac improbare verba spreta, & repudiata à consuetudine. Quæ quid esset, parum

tu

tu Federice mihi es visus intelligere be nè, dum, si apud multos imperitos increbuisset mos vitiosus loquendi, hunc dixisti non esse appellandum consuetudinem, nec vt regulam habendum loquendi, vísque, vt aliàs me memini ex te audire, voces quasdam mutatis literis corruptas nos vsurpare propterea, quòd ab antiquo aliquo homine Thusco licet ignorante ita scriptæ reperiantur, hodiéque in Thuscia sic illis vtãtur rusticani. Ego enim consuetudinem loquendi bonam ab hominibus credo ꝓficisci ingeniosis, qui vsu cum doctrina coniuncto iudicium rectum sint, & prudens consecuti, quo consentiant, quasiqúe conspirent in deligẽdis verbis idoneis, eáque lumine quodam, sensúque naturæ dispiciuntur, nõ arte vlla, regulaue iudicantur. Exornationesne illas vides verborum, quæ tantam venustatem, & splendorem accersunt orationi, vniuersas quasi abusionem esse legum Grammaticarum, sed inductas, & probatas à consuetudine, cùm alia ratio, quarè id factum sit, reddi nulla queat,

tantũmodò propterea, quòd ipſo peccato placeant, & ſuauitate moueant, pfundantque ſenſum aurium? Hæc eſt mea opinione conſuetudo loquendi proba, eamque tam apud Romanos, & Neapolitanos, & Inſubres, & alios, quã apud Thuſcos, exiſtere poſſe arbitror. Sunt quidem omni in lingua res quædam ſemper bonæ, oratio perſpicua, & perceptu facilis, ordo in hac, & ſeries rerum venuſta, abundantia, & copia affluens, elegantes, & concinnæ ſententię, numeroſè, iucundéq; cadentes clauſulæ, ſuperſtitioſius verò, ſolicitiusque ſtudium, & cura, cunctæque res his rebus contrariæ perpetuò ſunt malæ. Id, quod aliter ſe habet in verbis, quorum alia ad tempus aliquod ſunt bona, habenturque in delitijs, pòſt velut ſeneſcentia bona eſſe deſinunt, penituſque diſplicent, & deſpiciuntur, alia ecõtrariò quaſi ætatis progreſſu vigere, placereque, & in rebus numerari incipiunt pretioſis. Nam, quemadmodùm aliud anni tempus floribus, fructibusque ſpoliat terram, aliud eandem induit, ac ve-

ftit nouis, ita illa verba tempus secũ aufert, hæc affert, efficitque vsus, vt venustatem ea habeant, & dignitatem tantisper, dum perinde, ac nos cum rebus nostris cunctis caduci ad extremum, mortalesque esse cernimur, ipsa etiam sensim ætate quodammodò decursa mortem obeant suam. En lingua Osca, cuius nullam amplius habemus noticiã, en illa Galliæ Narbonensis à nobilibus (dici enim hoc sanè potest) illustribusq; celebrata scriptoribus, quæ ab habitatoribus eius prouinciæ hodiè non intelligitur. Existimo igitur pro eo, ac rectè dixit Iulianus, Petrarcham, & Boccacium, si in hoc tempore ætatem agerent, verba multa non posituros, quæ in eorum scriptis vsurpata cernimus, proptereáque erraturos nos putarem, & facturos malè, nisi ab horum vsu calamus se noster abstineret. Laudo quidẽ summè, siqui rationem, viamq; callent imitatione effingendi eum, qui effingi debeat, non tamen in hac nunc sum sententia, vt sine ea ipsa imitatione scribi negem posse benè, in primisque in lingua

gua hac noſtra, in qua adiuuari à cõſuetudine poſſumus, quod non idem dicere audere͂, & affirmare in Latina. Tum Federicus, obſecro te, inquit, cur in hac minus vis, quàm in illa, cõſuetudinem valere ad ſcribendum? Equidem, inquit Comes, vtriuſque magiſtram hanc eſſe reor, ac ducem, ſed, quoniam, quibus lingua Latina olim æquè propria fuit, ac nobis hodiè vernacula eſt, ex orbe terrarum exceſſerunt, quæ illi à conſuetudine didicerunt, ea nos ex ipſorũ ſcriptis oportet, librisque haurire, neq; eſt ſanè aliud, antiquo ſermone loqui, quàm ad conſuetudinem loqui vetere͂, eſſetque ineptus, qui orationem vellet ſuam ad ſimilitudinem vetuſtatis accedere, vt potius, quo loqui Latini ſoliti fuiſſent, quàm, quo ſolerent, modo loqueretur. Quid? inquit Federicus, neminem ergo imitabantur antiqui? Multi, vt credo, aliquos, inquit Comes, ſed non in omnibus. Etenim, ſi res planè cunctas imitatione illi ex alijs expreſſiſſent, nec Heſiodum Maro, nec Craſſum Cicero, nec ſuperioris ætatis poetas En-

nius

nius superauisset. En Homerus vsqueadeò antiquus, vt opinione multorum non minus ortus vetustate, quàm carminis præstantia Epicis anteeat poetis, & cuiusnam imitatorẽ eum, æmulumque vis fuisse? Cuiuspiam alterius, inquit Federicus, antiquioris, quàm ipse fuerit, poetę, cuius memoriam temporis deleuerit longinquitas. Quemnam ergo, inquit Comes, imitatos esse ais Petrarcham, & Boccacium, quos quasi ante triduum possumus de vita migrasse dicere? Equidem, inquit Federicus, sum nescius, sed credibile est, hos quoque authorem adumbrasse aliquem, tametsi, quem adumbrarint, ignoremus. Credibile est, inquit Comes, scriptores, qui alios imitandi sui incenderint studio, his, qui ipsos sint imitati, fuisse meliores, essetque res multò mirabilissima, si boni fuissent, nomen eorũ, memoriamq; omnem obliuione tam citò fuisse extinctam, sed existimo ego, veram, germanamque magistram ipsos habuisse naturam, secumque esse locutos, & ingenium suum, cùm quid scripserint,

pſerint, adhibuiſſe in conſilium, propriumq́; iudicium iuuatum, id, quod nulli mirum videri debet, poteſt enim ferè ſemper vijs diuerſis ad ſummum omnis excellentiæ tendi gradum. Etenim natura nulla eſt, quæ non res in ſuo genere plurimas habeat inter ſe diſſimiles conſimili dignas laude. Animum enim mihi refer ad muſicam, cuius harmoniæ quanquam aliæ ſunt graues, & tardæ, aliæ feſtinantiſſimæ, alijsque, atque alijs modis variatæ, cum delectatione tamen in aures influunt cunctæ, ſed cauſa, rationéque diſpari. Cui rei teſtimonio eſt, quo Bido vtitur, canēdi modus, nihil enim hoc eſt artificioſius, nihil expeditius, nihil vehementius, nihil concitatius, nihil varietate diſtincti⁹ adeò; vt, qui ad eum admoueat aures, illius ſubitò permoueri videantur, atque inflammari cuncti ſenſus, ſublatusq́; quaſi in cœlum rapi animus. Non minus auditores mouet Marchettus noſter Cara, ſed harmonijs lenioribus, quæ modo placido, flebiliſque pleno dulcedinis penetrent animos, & molliant, ſuauiterque

uiterque afficiant iucundo quodã mœrore. Multæ etiam res oculis arridẽt nostris ita æquabiliter, vt, quæ plus placeãt cæteris, difficile sit iudicatu. Planum id facere nobilissimorum artificum possumus picturis, & statuis Leonardi Vincij, Mantengæ, Raphaelis, Michaelis Angeli, Georgij Castrofranci, qui præcellentissimi arte, dissimilimi sunt opere, vt in nullo quicquã desiderari, sed quisque perfectissimus in suo genere, absolutissimusque esse videatur. Similiter multi & Greci, & Latini poetæ dispares inter se carmine, pares existunt laude. Quinetiam singulæ propemodùm ætates peculiare quoddam protulerũt, plurimique fecerunt genus oratorum, qui nõ tantùm ab oratoribus superiorum, inferiorumque temporũ discreparunt, verùm etiã dissimiles inter semetipsos fuerunt, quod de Isocrate scribenti credimus Grecię, de Lysia, de Aeschine, de multísque alijs, qui cuncti excellentes quidem, sed nullorum, nisi sui, fuere similes. Quid? Latini illi Carbo, Lælius, Scipio Africanus, Galba, Sulpitius, Cotta,

ta, Gracchus, Marcus Antonius, Crassus, & tot alij, quos longum esset commemorare, nonne omnes boni, ijdemq́ue inter se diuersissimi extiterunt, vt, qui legere posset, & iudicio expendere omnes oratores omnium temporum, is tot dicēdi figuras, ac species, quot eorum nomina, inueniret? Memini præterea Ciceronem quodam loco inducere Marcum Antonium dicentem Sulpitio, multos esse, qui neminem vnum consectentur imitando, ad summam tamen excellentiæ perueniant laudē, eorúmq; recordor nominare quosdam, qui nouam introduxerant figurā dicendi bellam quidem illam, & venustā, sed tamen sibi propriam, non communem cum oratorib. æqualibus, ad quam exprimendam neminem imitabantur, nisi ipsos se, proptereáque idem etiam affirmat, magistros debere ad ingenia respectum habere discipulorum, singulísque authores esse, & adiutores, vt horū ductu eam viam ineant, ad quam suapte natura intendant, ac ferantur. Quæ res efficit Federice, vt credam, neminē

cogi

cogi benè ſcriptorem aliquem imitari, niſi naturam habeat eius, quem imitari debeat, naturæ conſimilem, frangitur enim, debilitatúrque ingenij vis, &, ne aliquid proficiat, impeditur, ſi de via, ac ſemita commonſtrata à natura contra naturam cogitur deflectere, ſin ingreditur ea, nec huc, aut illuc de ipſa declinat, progreſſus facit admirabiles. Non itaque video, quàm fiat rectè, quòd linguam hanc noſtram, quæ locupletari ꝑ nos, & ditari omni copia, augeríque ſpiritu, & quaſi grandeſcere poſſet, incredibilíque ſplendeſcere lumine, perennibus inopię, exilitatis, humilitatis, obſcuritatis nitimur aſtringere vinculis, adducereque in tantas anguſtias, & compellere quaſi in dumeta vnius Petrarchianæ, & Boccacianæ imitationis, nec permittimus, vt Policiani etiam in ea, & Laurentij Medicis, & Franciſci Diaceti, & quorundam aliorum valeat authoritas, quantumuis ſint Thuſci, & fortè Petrarchæ ipſi, & Boccacio doctrina ſe, iudicióque æquarint. Ac mediusfidius res eſſet multò miſerrima, ſi non proue-

heremur longius inueniendi industria, quàm scriptores processerũt primi, sed certos nobis fines, terminosqúe constitueremus, quosdamqúe circũdaremus velut cancellos, extra quos egredi esset nefas, & quasi in vetusta tempora vim suam omnem effudisset, ita effætam hodiè, sterilemqúe crederemus naturam, vt tanta, tamqúe illustria ingenia nostri sęculi diffideremus in lingua sua vernacula, & propria posse formas dicendi elegantes plures progignere. Sed reperiuntur in hoc tempore scrupulosi quidam homines, qui linguæ illi⁹ suæ Thuscæ quadam quási religione, quibusdã, quæ effari nemo possit, velut mysterijs terrent audientes, vt multis etiam nobilibus, multis doctis viris subita oboriatur timiditas, ne verbum vllum audeant facere, sed nescire se fateantur ea lingua loqui, qua fari ipsis in cunis magistris nutricibus didicerunt. Verùm de his satis, & fortè nimis etiã multa, iamqúe sermonem de aulico institutũ persequamur. Tum Federicus, ego, inquit, dicam adhuc hoc paululum. Non infi-

cior

cior Comes, opiniones, atque ingenia hominum diuersa inter se esse, ac varia, neque is sum, qui natura vehementes, & concitatos benè credam ad res placidas, ac lenes scribendas se dare, minus seueros puto, ac graues, vt iucundas, lepidasque elucubrent, rectè sumere calamum, eaten⁹ enim arbitror cunctis tanquam ducem instinctum sequendū esse naturalem, & proprium, credóq; de eo loquentem Ciceronem magistros velle discipulorum considerare naturas, nec insipiētes imitari agricolas grana interdum, & semina mandantes telluri, quæ ad ferendum tantummodò vinum est apta, cogentésq; eam quasi inuitam suppeditare cibos, quam ad potum præbendum opifex ipse mundi, ædificatórq; destinauit. Sed adduci neutiquam possum, vt credam, in lingua vni nationi pręcipua, non communi omnibus, cuiusque vniuersum genus mortalium non existat tam compos, & particeps, quàm commentationum, & cogitationum, multarumque actionum aliarum, sed, quæ certis finibus sit, ter-

minisque circunscripta, non magis esse consentaneum, vt sibi proponat quis potius ad imitandum eos, qui omnium rectissimè sint, optimeq; locuti, quàm, vt fortuitu loquatur, & casu, nec facien dum, vt, quemadmodùm in lingua Latina omni conatu, & studio Maroni potius, & Ciceroni, quàm Silio, & Tacito similes scribendo euadere velle debemus, ita in lingua nostra vernacula ad Petrarcham, & Boccacium, quàm ad alium, proximè accedere malimus, horumque quasi stylo formata oratione sensa velimus eloqui propria, & in eo, quod Cicero docet, instinctui naturali parere, & nostro. Ex quo conficitur, differentiam istam Comes, qua inter oratores tu bonos dijudicas, non in dictione, sed in rebus huic subiectis contineri. Ibi Comes, vereor, inquit, ne ab aulici fingendi proposito egrediens longiꝰ tanquam ratis in vastum mare hęc proueهatur disputatio, sed dic sanè, qua re metiaris linguæ nostræ bonitatem. Custodita, inquit Federicus, eius proprietate, ad idemque significandum verbis

in ipsa, elocutionibusque vsurpatis, ad quod significandum principes hęc vsurparunt scriptores, tum eodem stylo, iisdemque numeris oratione facta, quib. velut versibus scripta sonant horū. Scire auerem, inquit Comes, vtrum hunc stylum, hos numeros, quos ais, res gignerent, an verba. Gignunt eos, inquit Federicus, verba. Tibi ergo, inquit Comes, Silij, ac Taciti verba alia videntur esse, atque sunt illa, quibus vtitur Maro, & Cicero? nec iisdem res easdem signasse putas vtrosque? Arbitror, hos, inquit Federicus, verbis iisdem res notasse diuersas. Et, si è Silio, inquit Comes, & Tacito verba omnia eximerentur, quæ alijs rebus ipsi, alijs item Maro, & Cicero imposuerunt, quæ perpauca essent, tumne diceres, Silium Maroni, Tacitum Ciceroni esse parem, rectéq; facturum eum, qui horum scriptis simile quasi nere studeret orationis filum? Ibi Aemilia, mihi, inquit, videtur vestra hæc disputatio esse nimis oppidò longa, & molesta, quarè præstiterit, in tempus eam reijcere aliud. Ordiebatur ni-

hilominus Comiti respondere Federicus sæpius, sed semper eum Aemilia interpellabat. Tandem Comes, multi, inquit, volunt iudicare stylos, & garriunt de numeris, atque imitatione, sed docere me Federice non possunt, quid omnino sit stylus, & numerus, aut in quo imitatio ipsa cōsistat, quidne sit, quamobrem res multæ ab Homero, alijsque poetis sumptæ ita deceant in Marone, vt potius hic eas illustrasse, quàm imitatus esse videatur, nisi fortè in culpa sum ipse, &, quod illi afferūt, ego nequeo assequi. Sed, quoniam magno argumento est, atque indicio, scire te rem, si eloqui eam possis, & docere alios, vereor, vt, quod ex illis cupiui cognoscere, satis cognitum habeant ipsi, videnturq; mihi Maronis, & Ciceronis laudes celebrare propterea, quòd id facere videāt multos, non, quòd differentiam, qua ab alijs hi tanquam colore distinguuntur, intelligant, quod mediusfidius non est, obseruasse duo, triaue, aut decem aliter ab alijs, atque ab ijs, quos laudant, vsurpata esse vocabula. Signarunt Salustius,

Cæsar,

Cæſar, Varro, cæteríque authores idonei verbis quibuſdam aliud, aliud item Cicero, in vtrorumque tamen apta illa ſunt ſcriptis, quoniam in eiuſmodi rebus friuolis non eſt bonitas alicuius, viſ que ſita linguæ. Rectè Demoſthenes, cùm ex ore eius verba quædã exijſſent, & quanuis non eſſent antiqua, mordẽs ipſum Aeſchines interrogaret, mõſtrane illa eſſent, an portẽta, in hoc nõ conſiſtere fortunas Græciæ, dixit ridens. Ac ego ſanè parũ turbarer, ſi Thuſcus quiſpiam me pungeret, quòd verba pleraq; vſurparem litera, ſyllabaue alia, ac vſurparet ipſe. Hic repente Federicus de ſella ſurgens, conuertensq́; ſe ad cunctos, audite obſecro hæc paucula adhuc, inquit, verba. Riſit Aemilia, &, loco pœnę iram, inquit, ſubibit meam, vtercunq; veſtrum plus de hac re verborum nunc fecerit, volo enim eam alio tẽpore materiam nobis eſſe veſpertini ſermonis. Sed tu Comes informare aulicum perge, & oſtende nobis bonitatem memoriæ tuę, ſi enim, vbi quaſi ab illo diſceſſiſti, & velut ex aula in Rhetorum intra-

ſti officinas, eo referre potueris pedem, erit, quod feceris, mehercule non parũ. De propoſito, inquit Comes, tanquam de via Aemilia videmur declinaſſe, niſi tamen me fallo, ante, quàm hanc diſputationem ingrederemur, ſummam deformitatem dicebamus, & fœditatem afferri rebus cunctis à peſtifero illo vitio affectationis, eaſdemque incredibili venuſtate augeri, & pulchritudine à ſimplici cura imitatrice naturæ, ab eaque, de qua ſupra nobis ſermo fuit, con temptione, poſſemq; ego, quæ ad illius vituperationem, ad huius laudem pertinerent, multò, quàm feci, ꝓferre plura, ſed hoc vnum porro commemorare habebo ſatis. Cunctæ mulieres incredibili ardent cupiditate, vt ſint formoſæ, aut, ſi eſſe nequeant, videantur ſaltem eſſe, atque appareant. Proptereaque, ſi in parte aliqua corporis erratum emi- net, mendumq; naturæ, corrigere hoc ſtudent arte, ex eo tantum fucandæ faciei naſcitur ſtudium, ex eo, dum è ſupercilijs, & fronte extrahũt pilos, interdum doloris ſenſus, ex eodem totum il

lud

lud vti omnibus ornandi, & comendi modis, totũ illud perpeti eas molestias, quas vos, quæ præsentes adestis, fœminæ, multùm admodùm creditis clam esse viros, cùm tanquam nomina hi sua cognitas habeant omnes. Tum Constantia Fregosia arridẽs, faceres, inquit, Comes humanius, si cursum instituti tui teneres, intendereq́; quasi digitum ad fontes pergeres, è quibus amabilem illam venustatem putas aulico haurienda m, deq́ue officio, & morib. huic conuenientibus verba haberes, quàm, si errata inciperes muliebria aperire à proposito aliena oratione. Imò ad propositum, inquit Comes, peraccommodata, quoniam errata ista, quæ aio, omnẽ vobis mulieribus tanquam amictũ detrahunt venustatis, cùm aliunde nõ manent, quàm ex affectatione, qua tanquã indicio se patefacit omnibus nimia in vobis, & inexplebilis pulchritudinis quasi sitis. Nonne videtis, quantò venustior sit fœmina, ac gratior, quæ, si pigmenta faciei sanè aspersit, ita id fecit parcè, atque restrictè, vt, qui aspiciat eam,

& contempletur, pendeat animi, nec ſatis queat conſtituere, à naturane diffuſum, an ab arte illitum cernat colorem, quàm alia aliqua, quæ vſqueadeò obducta eſt quaſi minio, vt perſonam ori appoſuiſſe videatur, metuque, ne faciat, vt hæc crepet, fugiat ridere, nunquam etiã, niſi mane, dum veſtitur, faciei mutet colorem, reliquo diei ſpatio tanquã ſtatua aliqua lignea ſtet immobilis, nec, niſi ad lucem tedarum, vidẽdi ſui faciat copiam, quemadmodùm aſtuti, callidique mercatores pannos oſtendunt ſuos tenebricoſo, obſcuroque loco. Quantò magis etiã arridet præter cunctas cæteras aliqua non deformis, cuius facies cernitur infucata prorſus nihil, quanuis nec candore ſuffuſa ſit ita eximio, nec tincta rubore, ſed colore quodam natiuo pallidior, cuiq; tum pudor, tum alia euenta interdum colorent ingenuè erubeſcenti genas, cuius capillus etiam inornatus ſit, & malè compoſitus caſu, geſtusque ſimplex, & naturalis, quæ denique nullius induſtriæ, & curæ det ſignificationem, qua foris accerſire

ſire ſtuduerit, & adhibere pulchritudinem? Hæc eſt contemptio illa, quam diximus, hæc illa ſimplicitas ab omni affectatione vacua, ac pura gratiſſima oculis, atque animis humanis, qui ſemper ab arte imponi ſibi putant, quaſiq́; tendi plagas. Placent mirificè in mulierib. pulchri, & candiduli dentes, quoniam, cùm non ſemper, vt facies, hi ſint aperti, ſed crebrius labris tanquam foribus clauſis abdantur, credibile eſt, minori etiam cura eos, vt belli reddantur, poliri, quàm malas, osq́ue pingi, ſiqua tamē rideret re nulla mota ridicula, ſed ſtudio duntaxat oſtendendorum dentiū, daret indicium ad hos adhibitę artis, &, quemadmodùm Egnatius ille Catullianus, quanuis formoſiſſimis eſſet prędita, ipſa formoſitate haberetur deformis. Quid? quòd delicatæ quoque, bellæq́ue manus, ſi nudantur, & oſtenduntur tempore, quo earum vſus eſt neceſſarius, non, vt ipſarum cernatur, & ſpectetur pulchritudo, incredibile ſui deſiderium relinquunt oculis maximè indutæ iterum thecis, quoniam occultās
eas,

eas,& remouens ab aſpectu,cernanturne,an ſecus,parū videtur laborare, creditúrq; ipſas habere potius natas,quàm ſtudio,induſtriaq; factas formoſas. Sæpe fœmina aliqua,cùm ad templa, alioue it per plateas,aut relaxādi animi gratia inambulat, aut aliquid, cuius occaſione id facere neceſſe habeat, agit aliud, veſtem tollit altius incogitans ita, vt pes vnus, ſimulque non rarò cruris pars videatur à ſpectātibus, quod quoniam interdum animaduertiſſe credo vos viros, maximane vobis videtur venuſtate affluere id faciens, ſi cum certa quadam decentia muliebri in crepidis ſuis ſericis,caligiſque politis agilis, con cinnáque apparet? mihi certè placet affatim, placetque credo vobis alijs omnibus, ab vnoquoque enim noſtrū exiſtimatur elegātia in parte corporis tam abſcondita, raroque patente oculis ab innata potius illi fœminæ cura proficiſci, & facili, quàm ab aſſumpta foris, & coacta, eaque eadem illa laudem putatur velle nullam venari. Hoc modo fugitur, occultaturque affectatio, & com prehen-

prehendere omnes iam poteſtis intelli gentia, quantoperè ea pugnet cum venuſtate, hacq́ue omni ſpoliet cunctas tum corporis actiones, tum animi, de quo pauca diximus hactenus, plura deinceps omnino ſunt dicenda. Quemad modùm enim dignitate hic longè anteſtat illi, ſic meretur, vt cultus ipſi adhibeatur, ornatusq́ue maior. Et, vt breuiter pro eo, ac propoſito conuenit noſtro, perſtringam, quomodò in aulico fieri hoc debeat, tot ſapientiſſimorum philoſophorum ſcriptis libris id perſequentium, virtutesq́ue animi definien tium, & de harum dignitate ſubtiliter diſſerentium omiſſis præceptis ſatis eſſe dico, in hanc cogitationem illum, cu rámque incumbere, vt vir bonus ſit, atque integer. Nam, qui talis eſt, is & prudentiam habet, & bonitatem, & fortitu dinem, & temperantiã, & cunctas, quæ tam honorati in ipſum quadrant ratione nominis, virtutes reliquas, exiſtimoq́ue ego hunc vnum eſſe philoſophum verè moralem, qui velit eſſe bonus, ad hoc autem, vt talis fiat, nulla re

magno-

magnoperè indigere eum arbitror, nisi hac ipsa voluntate. Propthereaque præclarè dicebat Socrates, præcepta sua fructum iam tulisse vberē, siquis satis concitatus ijs esset ad studium cognoscendæ virtutis, quoniam, qui nihil magis cupiunt, quam se esse bonos, illi facilè scientiam cōsequuntur eorum omniū, quæ ad id, vt tales euadant, sunt necessaria, quamobrèm in his diutius non morabitur oratio. Secundum virtutem autem verum, & facilè primum animi cultum in vnoquoq; reor esse literas, quanuis Galli in rebus, quę hominem ornēt, nihil nisi arma ponant, & militiam, cætera cuncta contemnant, atque despiciant ita, vt non solùm literas pendant parui, verùm abhorreant has etiam, ac fugiant, ijsque eruditos, & perpolitos tanquam vilissimos, abiectissimosque. homines nullo loco numerent, magnumque probrum inferre se credant, magnam imponere contumeliam omnibus, quos appellent doctos. Tum Iulianus, est ita, inquit, vt dicis, longo iam tempore in Gallis hic dominatur error,

ror,ſed,ſi fortuna,quod in bona ſpe homines habēt, principi Angolemo cum diademate nomē imponet regium,existimo fore, vt, quemadmodùm apud eos magna gloria nunc florent arma, ita breui etiam apud eoſdem floreant literæ,ſummoq́ue in honore habeantur, & omnibus ornentur, afficianturq́; beneficijs. Non ita pridem enim in regia illum vidi, & non ſolùm conſtitutione corporis firma,& decora, facieiq́ue pulchritudine,& dignitate præſtanti eſſe vidi, verum etiam cernere me ſum ratus in ore ipſius, ac vultu tantam elationē elucere animi cum certa tamen humanitate ſociatam amabili,vt regnum Galliæ licet florentiſſimum ſemper infra ſe ducere, minusq́ue ijs fortunis, quibus dignus eſſet,putare deberet. Accipiebā poſteà ex quamplurimis tum Gallis, tū Italis nobili loco natis multa de eximijs eius moribus,de magnitudine,& robore animi,de liberalitate, de ingenio, & inter cætera ad me afferebatur, incredibili ipſum, & planè ſummo amore flagrare literarum,hasq́ue plurimi facere,
vnicéque

vnicéque obseruare, & colere ipsos lite ratos, tum damnare suos populares, quòd à studijs humanitatis ita valdè essent alieni, cùm domi haberent nobilissimũ gymnasium Lutecianum, ad quod foris ex omni terrarũ orbe homines tanquam ad mercatum literarum, emporiumqúe confluerent. Tum Comes, permirum est, inquit, in tam tenera, atque imbecilla ętate instinctu duntaxat, & admonitu naturę per se, & suapte spõte contra consuetudinem patriæ ad veram, solidámque gloriam illum viam tam rectam esse ingressum, &, quoniã ex principibus mores semper suos quasi imaginem imitatione exprimit populus, fieri poterit Iuliane, quod ais, vt Galli etiam literas dignitate metiantur sua, quod vt facerent, si erigere aures vellẽt, attenderéq; animum, facile ipsis esset, & procliue persuasu. Omni enim homini ingeneratum est, & insitum à natura, nullius vt rei cupiditate magis ducatur, quàm scientiæ, hæc ei est propria, miniméque cõmunis cum reliquis animantibus, hanc dicere, aut putare rem bonã

esse

esse non semper, magnæ est amentiæ. Quod si ijsdem nunc loquerer Gallis, aut alijs quibuscunque, quorum quidẽ opinio dissideret à mea, cunctis eniterer viribus, vt ostenderem, quantoperè literæ, quæ reuera summum sunt munus à dijs immortalibus datum generi humano, ad vitam essent, dignitatemq́ue nostrã vtiles, ac necessariæ, nec me deficerent tot præstantissimorum ducum veterum exempla, qui cuncti ornamentum illarum ad virtutem bellicam adiunxerunt. Alexander enim (vt te minimè fugit) Magnus vsqueadeò coluit, & veneratus est Homerum, vt Iliadem eius illa lecti parte, qua capite cubuit, positam semper habuerit secum, nec solùm poeticis studijs operam dedit, verùm Aristotele magistro diligentissim⁹ speculator etiam fuit, venatórque naturæ. Alcibiades bona animi magna literis, præceptisq́ue Socratis fecit maiora. Quanta cura in studia incubuerit Cæsar, ab eo testãtur diuinitus scripti commentarij. Quid? quòd Scipionem ferũt Africanum nunquam de manibus esse

deponere ſolitum libros Xenophōtis, quibus in Cyri perſona regem perfectū is inſtruxit. Poſſem dicere de Lucullo, de Sylla, de Pompeio, de Bruto, de multiſqúe alijs tam Romanis, quàm Græcis, ſed Annibalem tantùm commemorabo tam perfectum ducem, licet natura fuerit ferox, ab omníque humanitate alienus, & infidus, contempſeritqúe homines, ac deos, peritum literarū fuiſſe, linguæqúe Græcæ. Etenim, niſi erro, legiſſe me arbitror, librū illum reliquiſſe Græcè à ſe conſcriptum. Sed apud te Iuliane, vóſque alios hæc dicere nihil attinet, quos omnes ſcio cognoſcere, quanto in errore verſentur Galli literas putantes nocere armis. Scitis, verum ſtimulum, quo optimus quiſq; ad res magnas in bello, & periculoſas ſuſcipiendas concitatur, eſſe gloriam, nam, qui ſpe lucri inductus eas ſuſcipit, aliāue mercedem deſiderans, præter hanc laudis, is nihil vnquam facit præclarè, honorificóq; indignus nomine hominis nobilis meretur, vt viliſſimus dicatur mercator, veram autē, germanámque

que gloriam esse eam, cuius memoria monumentis consecretur literarum, exceptis infelicibus illis, & miseris, qui has non gustarunt, cunctis mortalibus facile est intellectu. Ecquis animo est tam demisso, tam timido, atque humili, vt à Cæsare, Alexādro, Scipione, Annibale, tótque alijs res gestas legens, eorumqúe in omni genere summam amplitudinem considerans, & dignitatem non vehementissimè, ardentissiméque cupiat, se ipsorum esse similem, huícq; caducæ duorum dierum vitæ illustrem illam, quasiqúe perennem non antepo nat, qua possit consequi, vt, cùm morte inter homines viuere desierit, inuita morte inter homines viuat multò, q̃ an tè, clarior? Verùm, qui dulcedinem non sentit literarum, is nec, quam ab obliuione, & silentio vindicatam tam diu hæ conseruarunt, intelligere potest gloriæ magnitudinem, quin imo, cùm longioris non recordetur temporis, hominis vnius, duorumue duntaxat eam me titur ætate, propter eaque tam breui circunscriptam spatio non potest putare

tanti, quanti putaret alteram quasi æternam, nisi tam infelix esset, vt hanc non cognosceret, cúmque incognitam minoris æstimet, quàm debeat, meritò etiam potest credi, vt eam adipiscatur, minus, quàm ille, qui cognitam habeat, faceret, in discrimina vitæ ipsum, periculaque se esse obiecturum. Neque nunc vellem aduersarium aliquem, vt dicta mea refelleret, res proferre, quarũ literæ fuerint efficientes, his, quas aio, rebus contrarias, obijceréque mihi, atque exprobrare, quòd Itali nostri illis eruditi inde à quodam tempore ad hanc nostram vsque memoriam exiguæ in bello dederint documenta virtutis, id, quod, si verum fateri volumus, est sanè nimiùm verum, quanquam iure posset dici, culpam quorundam paucorũ cum magno malo sempiternam infamiam intulisse cunctis, veramq; vastitatis Italicæ, inque animis nostris si non prorsus extinctæ, ac mortuæ, debilitatæ saltem, & prostratæ virtutis ex illis pendere causam. Sed multò magis nos puderet, hanc patefacere, quàm Gallos, nescire

ſcire literas, quarè ſatius eſt, vt ſilentio prætereat, quod ſine acerbiſſimo non poſſum recordari ſenſu doloris, relinquensque rem iniucundam, ad quam me inuito acceſſit, ad aulicum noſtrum reuertatur oratio. Volo itaque hunc plus, quàm mediocriter, ſtudia coluiſſe literarum, ſaltem politioris humanitatis, & non modò linguæ Latinæ, ſed etiam Græcæ habere noticiam propter multas illas res, & varias, quæ diuinitus hac ſcriptæ reperiuntur. Multum temporis mihi triuerit in lectione poetarũ, non parum in oratorum euolutione, & hiſtoricorum, aſſuefecerit ſe ſcribere orationem tum ſolutam, tum aſtrictã numeris in primisque in lingua hac noſtra vernacula, talis enim exercitatio ſuper magnam voluptatem, quam inde capiet, ſemper aliquid ei ſuppeditabit opuſculorum, quibus ad fœminas, quæ plerunque incredibiliter his, mirificeq; delectantur, ſibi muniat aditum, vt colloqui cum illis poſſit, ſuauiterque traducere tempus. Quòd ſi, quia vel occupationum grauiore preſſus fuerit one-

re,vel ſtudia attigerit leuius,tam perfecta non erunt,atque abſoluta, quæ elucubrarit,vt multa digna ſint laude, ſupprimat hæc cautè, ne irridendi ſui cuiq̃ offerat anſam, tantumque legenda ea, quem fidum habeat, det amico, neque tamen,ſi laudem ipſa mereantur nõ magnam,fructum etiam inde putet ſe nullum penitus percepturum, exercendo enim ſeipſe exiſtimare de exercitationibus diſcet,& operibus aliorum,reuera enim rarò fit,vt,qui ipſe ſcribere non aſſueuerit,quantacunque etiam præditus ſit doctrina,is laborem, atque induſtriam,qua ſcripſerunt alij, perfectè poſſit cognoſcere, guſtaréq; dulcedinem, & intelligere excellentiam ſtyli, reconditaque illa, atque abdita ſenſa aſſequi in ſcriptoribus antiquis, quibus ſæpe hi aliud,atque id, quod dicunt, alludendo inueniuntur deſignare. Tum copiam quoque ipſi eadem illa exercitatio gignet dicendi, præſtabitque, vt, quemadmodùm Ariſtippus tyranno illi reſpondit, vnicuique loqui audeat expers curæ,ac metus. Vnum tamen præceptum

volo

volo penitus in eius insidere memoria, vt nimirũ in hac re, & in omni alia semper cautus sit, timidúsque potius, quàm audax, nec falsò habeat persuasum, scire se, quod nesciat, quoniã natura cuncti oppidò nimiùm extra modum prodimus auiditate laudis, multoq; libentius, multò maiori cum voluptate verborum de nobis aliquid prædicantium audimus quasi musicam, quàm quenuis alium suauissimum cantum, aut sonum, proptereaque sæpe illis tanquam Sirenũ vocibus illecti merguntur, quorum tam fallaci harmonia nõ benè obstructæ personant aures. Aç fuit antiquis temporibus inter homines sapientes, qui periculum hoc cognoscẽs compositis libris verum amicum docuerit ab assentatore internoscere. Sed quid ille his profecit? si multi sunt, vel potius innumerabiles ij, qui apertè sentientes, aliquem se adulari, in id faciẽtem amorem habent, in verum dicentem habẽt odiũ, imò sæpenumerò, quasi nimiùm parcum putent esse adulatorem, nimiumque restrictum in tribuẽdis sibi præ-

conijs, adiutores ei in laudatione sui existunt, & socij, deque seipsi gloriãtur res, quas audire eundem impudentissimum pudet adulatorem? Verùm hos cæcos in errore relinquamus suo, faciamusq́;, vt aulicus noster iudicij sit tam recti, ne persuaderi sibi sinat, quod atrũ sit, id esse album, neue quicquam sibi sumat, quod non certò sciat, se sumere sibi meritò maximè illis in rebus, quarũ Cæsar Gonzaga, si memoria tenetis, in ludo meminit suo, quibusque nos sæpe tanquam instrumentis quibusdam vsi sumus ad inducendos, vt desipere inciperent, multos. Imo, ne errore idem capiatur, etsi laudes sibi concessas minimè vanas esse sentit, & falsas, non tamẽ vel apertè agnoscat has, vel tacitè approbet, sed verecundè potius, pudenterq́; eas repudiet, & sibi neget esse debitas semper præ se ferens, & reipsa statuens, præcipuam scientiam, quam profiteatur, esse armorum, reliqua animi bona cuncta armorum ornamentum maximè inter milites, vt ne faciat, quemadmodùm illi, qui apud literatos videri

volunt

volunt esse milites, apud milites literati. Ad hunc modum rationib. illis, quas diximus, fugiet affectationem, quodq́; faciet, licet erit non magnum, apparebit esse multò maximum. Ibi tum Bembus, ego, inquit, Comes nescio, qua ratione tu nostrum statuere velis aulicū, literas, quæ in eo sint, & tot res laudabiles alias ornamentum esse armorum, &, non hæc potius, quæq́ue in ipso requiris, cætera ornamentum, decusq́ue literarum, quæ per se solæ nullarum indigentes rerum externarum arma vincunt dignitate, quantùm animus corpus, cùm horum vsus huic, illarum illi sit sanè proprius. Imò, inquit Comes, ad arma vtenda vtriusque coniunctim est & corporis, & animi necessaria functio. Sed nollem ego apud te Bembe iudicem hanc causam dicere, quoniam nimiùm suspicarer in alteram te partem fore propensum, ac, cùm multum, diuq́ue hæc iam olim sit ab hominibus sapientissimis disceptata cōtrouersia, renouari eam per nos non sanè est necesse, statuoque, lite à literis iam pridē per-

dita in laudis maioris quaſi poſſeſſionẽ miſſa eſſe arma, voloque, quoniam fingere hunc poſſum meo arbitratu, idem planè iudiciũ eſſe aulici noſtri. A` quo ſiquidem tu diſſentis Bembe, hancque controuerſiam putas inſtaurandã, expectato ſanè diſputationem, ſed, in qua tam ſit licitum patrono armorũ armis, quàm defenſori literarũ literis de cauſa decernere. nam ſi vtrique horum id facere erit fas, illi certè hic vict⁹ dabit manus. Ah, inquit Bembus, antè damnabas Gallos, quòd literas parui ducerẽt, dicebasque, quantum quaſi lumen eæ præferrent hominibus ad cernendam gloriæ magnitudinem, quamque æternitatem his, & immortalitatem donarent, & nunc mutata ſententia videris tecum ipſe pugnare. Alexandrum es oblitus, cùm ad Achillis tumulum aſtaret, ò fortunate, dixiſſe, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris? Quòd ſi Alexander Achilli inuidit non quidem res geſtas, ſed, quo celebrari eas, & illuſtrari voluit fortuna, Homeri poema, intelligi poteſt, pluris huius

huius literas, quàm illius facta, ipsum ęstimasse. Quam sententiam ergo expectas, vt literis des palmam, super hanc ipsam ab vno latam de ducibus maximis, quos vnquam terrarum habuit orbis? Ego, inquit Comes, damno Gallos, quòd obstare, atque officere literas putent professioni armorum, quasique omnes fortitudinis neruos hæ elidant, eundem negent & doctum esse posse, & militem, cùm ego contrà statuam, cui, vt literatus sit, magis conueniat, quàm militi, esse omnino neminem, voloque idcirco, aulicum nostrum & armorum, & literarum scientiam habere coniunctè, vt, quod vtrorumque congruentissimum est naturæ, mutuò se hæc adiuuent, nec, quòd id velim, de sententia mea mihi videor discedere propterea, sed (vt dixi) differere mihi nunc non libet, vtra eorum laudem mereantur maiorem. Illud satis habeo dicere, literatos ferè semper non nisi viros magnos sibi sumere laudandos, & facta gloriosa, quæ propter virtutem, vnde rectà proficiscuntur, digna sunt laude, argumentumq;

tumq́; existunt multò nobilissimũ scribendi, ipsorumq́ue scriptorum magnũ ornamentum, tum quadã ex parte calcar etiam illud, quo, qui hæc inchoarũt, ad absoluenda ea concitantur. Quæ fortè ita nec tererentur manibus, nec haberentur eximia, nisi subiecta ijs materia ipsa eximia esset, sed inanis existerent, inutilisq́ue cumulus, atq; aceruus verborum. Et, si Alexander Achilli inuidit Homeri præconia, non per id conficitur, quòd pluris literas æstimauerit, quã arma, quibus si tantò inferiorem se esse intellexisset laudato, quantò diuinitate scribendi putabat inferiores laudatore futuros omnes, qui facta essent sua mãdaturi literis, multò magis certè, se præclarè facere, quàm alium de se præclarè scribere, concupiuisset. Credo itaq́; eo, quòd Achillis mærere se ostenderit felicitate, tacitè illum laudauisse seipsum, optasseq́ue, vt haberet, quo carere adhuc se putabat, summum, rebusq́ue omnibus excellentissimum scriptorem, non virtutem bellicam, quippe quam assecutum se iam credebat, quaq́ue anteire

teire neutiquam sibi Achillem rebatur. Quem idcirco etiam nominauit fortunatum, vt, si dein tanta fama, tantoque omnium sermone apud posteros non celebraretur nomen suum, quanto nomen eius diuinissimo illustratum carmine, id minimè propterea, quòd virtus, meritáque sua minora, & minori digna laude, quám ipsius, essent, sed fortuna accidere significaret, quæ miraculũ illud naturæ Homerũ tanto heroi præconem rerum ab eo gestarum antè destinasset. Quinetiam hominem fortè aliquem literatum nobili præditum ingenio ad facta sua memoriæ prodenda voluit excitare, ostendereque, gratum hunc erga se esse debere, quòd vsqueadeò sacra monumenta amaret, & veneraretur literarum, de quibus nunc verborum fecimus satis. Imò, inquit Ludouicus Pius, plus etiam, quàm satis est, credo enim nusquam gentium reperiri posse vas tam capax, quod non his impletum rebus redundaret, quas tu in nostro inesse vis aulico. Tum Comes, expecta, inquit, paulisper, sunt enim, quæ
in

eo debent inesse, etiam plures. Erit igitur ad has capiendas, inquit Petrus Neapolitanus, Crassus Medices aptior, quã Petrus Bembus. Riserunt hic omnes, & iterum ordiens loqui Comes, scitote, inquit, minimè mihi videri, aulicũ perfectum esse, nisi porro sit music⁹, & tum de libro voce, tum memoriter fidibus varijs canendi certam, expeditamque habeat scientiam, quoniam, si accuratè perpendimus, nulla laborum leuatio, nulla animorum ægrorũ medicina honestior potest, laudabiliorque inueniri in otio, quàm vocum, chordarumque cantus, maximeque in aulis, vbi non solùm in omnium molestiarum quasi æstu vnicuique hic affert refrigerationẽ, sed inter alia oblectamẽta multa etiam eo satisfieri solet fœminis, quarum animos teneros, & molles facilè penetrat harmonia, afficitque dulcitudo. Proptereaque non est mirandũ, quòd temporibus tam antiquis, quàm nostris illæ semper deditæ fuere cantibus, hosque tanquam cibum quendam animi gratissimum appetiuerunt. Tum Gaspar, musicam,

ſicam, inquit, cum multis alijs rebus vanis conuenire arbitror mulieribus, quibuſdamq́ue fortè, qui ſimilitudinē potius, & ſpeciem virorum gerunt, quàm viri ſunt, ijs verò, qui reuera viri ſunt, conuenire reor non item, neque enim delitijs hi debent effœminare animos, ſimulq́ue metu imbuere mortis. Amabo te, ne id dicas, inquit Comes, in ingenti enim, immenſoq́ue muſicam prædicans excurram campo, repetamq́ue memoria, incredibili eam apud antiquos ſemper celebratam eſſe laude, habitamq́ue pro re ſacra, fuiſſe etiam ſapientiſſimos recordabor philoſophos, ꝙ opinati ſint, compoſitum ipſa eſſe mundum, orbesq́ue, & circulos cæleſtes motibus ſuis efficere harmonias, tum animam etiam noſtrā eadem ipſa formatā extitiſſe, ob idq́ue moueri, & virtutes eius quaſi torpentes excitari cantibus. Quocirca proditum eſt literis, Alexandrum ab illa tanto animi ardore incenſum interdum, inflammatumq́ue fuiſſe, vt quaſi inuitus de conuiuis ſurgens cœperit arma, poſt mutante, varianteq; muſico

musico sonos mitigatum eundem,& lenitum fuisse adeò, vt armis positis reuerterit ad pocula. Non possum facere, quin Socratem dicam illum seuerum acta iam, & decursa ætate didicisse canere cithara. Et accepisse me recordor, quòd Plato, atq; Aristoteles velint hominem benè institutum numerari musicum, ostenduntque illi rationibus infinitis, vim in nobis, & potestatem musicæ esse longè maximam, multisque de causis, quas longum esset recitare, statim à pueritia eius inchoandã esse perceptionem necessariò non tam, ꝙ harmonijs foris feriat aures, quàm, quòd ad nouum etiam habitum bonum, consuetudinemque, quæ ad virtutem tendat, &, quemadmodùm exercitatio robore auget, & viribus corpus, ad felicitatem capiendam aptiorem animum reddat, in nobis gignendã satis vna valeat. Iidem illi philosophi musicam assueuerant rebus vrbanis, & bellicis non modò nihil officere, verùm etiam summè conducere, ac commodare. Taceo Lycurgum in seueris suis, & duris legibus quoq;

quoque eandem probare, Lacedæmoniosque illos bellicosissimos, & Cretenses in prælijs canere solitos esse citharis, alijsque fidibus mollibus, multos item præstantissimos duces veteres, è quibus Epaminondas fuit, operam musicæ dedisse, eosque, qui huius periti fuerint, illis, qui fuerint rudes, inter quos Themistocles nominatur, fuisse antelatos. Inter primasne disciplinas legisti, quibus tenerum adhuc Achillem, cùm penè ab vberibus eum abstractum, sublatumq; è cunis ipse nutriret, Chiron senex imbuit, numerari musicam? voluisseq; doctorem hunc cordatum man⁹, quæ tot olim Troianis illaturæ essent necē, easdem in chordis sæpe tangendis citharæ teneri occupatas? Quem militem ergo pudebit imitari Achillem multis alijs, quos proferre possem, silentio præteritis ducibus inclytis? Quarè à rebus aulicum nostrum decentibus excludere noli musicam, quæ non solùm ad lenitatē inflectit homines, verùm sæpe ad mansuetudinem etiam traducit feras, vt, qui illam non gustet, illius non afficia-

tur harmonia, concordantibusqúe sonis, is habere possit pro certo, quasi harmonia se, & cōcordia vacare sensuum. En vis eius maxima, cùm piscem iam olim attraxerit, vt tanquam equus tergo acceperit hominem, ê fluctibusqúe euectum maris reddiderit terræ. Hac in templis mundi opifici agimus gratias, hac eius celebramus laudes, hanc credibile est & gratam ipsi esse, & ab eodem ipso nobis esse datam, vt dulcissimum laborum esset, molestiarúmq; nostrarũ leuamen. Aratores nescis duros ardentissimum solis calorem rudi temperare, agrestíque cantu? Hoc horrida in pagis puella citius ad nendi, aut texendi operam, quàm lux ad terram, reuersa somnum arcet ab oculis, iucundúmq; sibi reddit laborem, hoc è pluuijs, è ventis, è tempestatibus cum incredibili sensu suauitatis miseri se recreant, reficiũtqúe nautæ, hoc tædiũ, longitudinémq; itineris solantur languentes è via peregrinatores, hoc eodem vincula, duráſque compedes afflicti captiui. Etenim in omni omnino labore, & molestia

summum

ſummum alleuamentum homini eſſe cantum quanuis incultum, & inornatũ argumento eſt maiori, quòd natura nutricibus eum monſtrarit tanquã remedium præcipuum contra continuos fletus comparatum tenerorum infantiũ, qui ſono ipſius pellecti placidiſſimum ſomnum capere, à ploratúque ſibi temperare incipiũt vſqueadeò eis proprio, vt tanquam præſagitio quædam futurarum in vita miſeriarum conceſſus ipſis eſſe videatur. Hic cùm Comes paulùm inſtitiſſet, ego, inquit Iulianus, non iam facio cum Gaſpare, exiſtimo potius rationes ponderans tuas, multaſquè alias mecum reputãs, oportere aulicum non ſolùm, quia ea ornetur, ſed etiam, quia ſine ea eſſe non poſſit, ſcire muſicam. Ac vellem, vt nobis nunc exponeres, ad quem modum hac, rebúſq;, quas in eo ineſſe vis, alijs vti ipſum cuperes, & quo tempore, & qua ratione, multas enim, quę per ſe merentur laudem, ineptiſſimas vſus facit intempeſtiuus, & econtrariò non paucas, quæ parui videntur eſſe momenti, quaſi pretioſas red-

dit ipſa vſurpatio decora. Tum Comes, antè, quàm hoc facere, inquit, ingrediamur, rem vnam non tranſiliet oratio mea opinione momenti multi, quam, dum omnia conſectatur, quæ conducere ſibi credit ad hoc, vt perfect⁹ euadat, aulicus minimè quaſi à tergo debet relinquere, artem pingendi. Neque nunc quiſquam veſtrum miretur, quòd hac etiam inſtructum eum eſſe velim illiberali forſan, & ſordida hodiè habita, parumqúe homine digna nobili, quoniã legere me memini, priſca tẽpora in omni maximè Græcia pueros loco nobili natos in ſcholis ei voluiſſe operam dare vt rei honeſtæ, ac neceſſariæ, collocaſſeqúe ipſam in primo illarum, quæ liberales dicuntur, gradu, & edicto vetuiſſe publico eadem ipſa erudiri ſeruos. Dein à Romanis maximus ei honos eſt habitus, traxitqúe ex ipſa cognomen nobiliſſima gens Fabiorum, qui enim prim⁹ appellatus eſt Fabius, eidẽ cognomentum fuit Pictor, quòd longè plurimùm pingendi artificio excelleret, eíque ita eſſet deditus, vt, cùm parietem pinxiſ-

ſet

ſet in æde Salutis, huic nomen inſcriberet ſuum, putarétque, quanuis in familia tam clara, totqúe titulis conſulatuũ, triumphorum, cæterorumqúe honorũ decorata natus eſſet, literas etiam noſſet, calleretqúe iura, & haberetur in oratoribus, collectam tamen ex talibus rebus famam augere ſe poſſe, illuſtriorẽqúe reddere eo relicto monumento, ex quo pictorem ſe fuiſſe, poſteri intelligerent. Non pauci præterea alij ſtirpe clara profecti nomen celebre hac adepti fuerũt arte, quæ cùm ſit nobiliſſima, habeátque dignitatem, multas etiam vtilitates affert potiſſimùm in bello ad regiones, ad ſitus, ad flumina, ad pontes, ad rupes, ad caſtella, ad résq; ſimiles penicillo adumbrandas, quæ etſi (quod ipſum ægrè fit) cuſtodirentur memoria, tamen ſubijci aliorum oculis non poſſent, niſi beneficio eiuſdem huius artis effictis earum imaginibus. Quam qui æſtimat nõ magni, næ ille mihi videtur multùm abſtractus eſſe à ratione, quia mundus hic, cuius amplum intuemur cœlum claris ſplendidum ſyderibus, cu

iusque media in ſede terram cinctã mari, montibusque, & vallibus, & fluminibus diſtinctam, tam varijs etiam arboribus, floribusque amœnis, & herbis or natam conſpicimus, nobilis quædam dici poteſt, ac magna ipſius naturæ, & Dei eſſe pictura? quam quicunq; poteſt imitari, hunc magna dignum puto laude, idque facere tantùm poſſe eum, qui plurimarum rerum noticia cõpleuerit pectus, illi, qui rem experiuntur ipſi, ac tentant, minimè ſunt ignari. Quamobrèm & pingendi artem, & pictores in rebus maximis habuerunt antiqui, eoque eſt factum, vt numeris omnibus perfecta illa fuerit, ad ſummumque perducta, id, quod ita eſſe, ſatis certo argumẽto marmoreæ ſunt, æneæque, quæ etiam nunc videntur, ſtatuæ antiquæ, nam, quanq̃ pingendi ars à fingendi eſt diuerſa, tamen vtraq; ex eodem quaſi fonte fluit figurationis. Eaque de cauſa vt ſtatuæ ſunt diuinæ, ita credi poteſt, fuiſſe etiã picturas, ac potius multò magis proptea, quòd aptæ ſint ad artificium capiendum maius. Tunc Aemilia Ioannem

Chriſto-

Christophorum intuens Romanũ, qui assidebat cum cæteris, tibi, inquit, hæcne placet sententia? in picturas assentiris Comiti, quàm in statuas, maiorẽ cadere artem? Ego, inquit Christophorus, & operosiores, & artificiosiores, & digniores picturis esse statuo statuas. Quoniam signa, inquit Comes, ad longius durant tempus, dici fortè posset, dignitate ea pręstare, cùm enim, vt hominum, quorum simulachra sunt, memoriam conseruent, sint facta, illorũ, quorum sunt facta voluntate, magis, quàm eandem ob causam pictæ imagines, explent desiderium, verùm nõ solùm memoriæ, sed etiam ornatus gratia tam pingendi, quàm fingendi extitit ars, qui ab illa multò, quàm ab hac, nascitur maior, neque, si picturę (vt ita nunc dicam) non tam diu durant, quàm diu durant statuæ, idcirco non durant perdiu, dũq; durant, nõ longè has, & plurimùm vincunt venustate. Certè, inquit Christophorus, aliud Comes dicere mihi videris, ac sentis, vt Raphaeli gratificeris tuo, forsan existimas etiam, perspectam

tibi huius in pingendo excellentiam esse tantam, quantam in fingēdo assequi nemo possit, sed cogita, artificis hanc, non artis, esse laudem. Videtur quidem mihi vtraque harum artium diuina esse imitatio naturæ, sed non iam intelligo, quomodò posses, ad verū, & ad id, quod ipsa natura gignat, in marmoreo quopiam, æneoue signo, cuius membra omnia sint rotunda, formataque, & dimensa ita, vt ab eadem ipsa natura ficti art⁹, propius inficiari accessum imitando, q̄ in tabula aliqua, in qua nihil nisi planities quædam cernatur, ijq́; colores, qui fallunt oculos, nec mihi nunc dices, vero nō esse, quod sit, quàm, quod esse appareat, vicinius. Existimo quoque, longè difficilius esse, fingere imaginem aliquam, quàm pingere, quoniam, si peccat fictor in aliqua inchoati operis parte, corrigi nequit mendum, cùm nihil conglutinari sibi patiatur marmor, sed aliud est inchoandū simulachrū, quod non idem accidit pictori, qui mutare aliquid in opere nondum perfecto potest millies, augere, minuere, emendare

perpe-

perpetuò. Risit Comes,&,non ſanè,inquit,gratificari nunc volebam Raphaeli, neq; putare Christophore me debes eſſe tam plumbeum, vt nō cognoſcam & Michaelis, & tuam, & aliorum in fingendo præſtantiam, ſed ego de artibus, non de artificibus verba habeo, quas tu quidem benè ambas in imitatione ponis naturæ, verùm illud non item dicis rectè, ſtatuas eſſe, picturas eſſe videri, quanquam enim membra in illis vndique exiſtunt rotunda,cuiuſmodi viuentium ſunt hominum artus,in his, quippe quæ ſuperficies ſunt plana tabulæ, ſolùm talia eſſe apparent,tamen illis multa deſunt,quæ nō etiam deſunt his,maximeq́ue lumina,atque vmbræ,aliud enim lumen efficit caro, aliud marmor, idq́ue illuſtri, & obſcuro pro eo, ac neceſſitas poſtulat,aucto, minutóue colore imitatur pictor ad naturam accommodatè, quod non item facultate aſſequi poteſt, qui fingit, ac etſi pictor non facit figuras rotundas, muſculorum tamen, atq; artuum rotundat partes ita, vt ad partes alteras abſconditas,atq; ce-

cas tanquam cum exiſtentibus ipſis ſe coniunctura ferantur, queatque comprehendi intelligentia, eum, qui penicillo illos poſuit ante oculos, etiã has, quæ non videntur, ponẽdi habere ſcientiam. Quin huic alia quoque eſt multò maior neceſſaria facultas membrorum ad proportionem viſus breuiantium ſe, & minuentium quadam effectrix arte, quæ vi linearum dimenſarum, colorum, luminum, vmbrarum in pariete etiam aliquo directo facit, vt tum planũ aliquid eſſe appareat, tum appareat aliquid eſſe procul ſitum plus, minuſue ꝓ eo, ac artifici libet. Parui præterea momenti eſſe putas, imitari colorem poſſe naturalem in adumbrãda carne, ac pannis, cæteriſque rebus coloratis omnibus? At id facere iam nequit fictor, minus poteſt exprimere gratum aſpectum nigrorum, cæſiorumue oculorum, lucenteſque in his amoris radios. Idem non poteſt ante oculos ſtatuere colorẽ capilli flaui, nõ ſplendorem armorum, non caliginoſam noctem, non tempeſtatem maris, nõ nubium conflictu expreſſum

pressum ardorem, eiusque iactus, nō ali
cuius incendium vrbis, non in aere na-
scentem colorem illum rosarū, aureos-
que, & purpureos radios nūcios oritu-
ri solis, non denique cœlum, mare, ter-
ram, montes, nemora, prata, hortos, flu
mina, oppida, domos, quorū nihil dene
gatum est pictori. His ego rationibus
adducor, vt credam, nobiliores esse, &
artificiosiores picturas, quàm statuas,
credoque ipsam pingendi artem priscis
temporibus, vt res alias, ad summū ex-
cellentiæ peruenisse gradum, quod ex
reliquijs quibusdam picturarum paruu
lis, quæ ad nostram vsq; memoriam re-
manserunt maximè in cauernis Roma-
nis, multoque magis ex tot libris com-
perimus scriptorum veterum, in quib.
honorifica fit, & crebra tum de pictu-
ris, tum de pictoribus mentio, intelligi-
turque ex illis, quanto in honore hi a-
pud principes viros, resq; publicas sem-
per fuerint. Alexandrum enim Magnū
inde didicimus tam arctè complexum
fuisse Apellem Ephesium, vt non dubi-
tarit amicam carissimā ei donare, cùm
nudæ

nudæ ſimulachrum pingere hominem iuſſiſſet, & admiranda niſi corporis muliebris pulchritudine eum captum, ardentiſſimoque amore inflammatũ eſſe cognouiſſet. Ac digna profectò Alexandro fuit liberalitas, quòd non ſolùm pecunijs, & bonis auxit Apellem, ſed amores etiam, & delicias ſuas, deſideriumq; ipſum ei conceſſit. Idque ſignum eſt, & indicium amoris ab illo in hunc habiti longè maximi, cùm, vt ei faceret gratũ, parum curarit, mulieri, quam ſummè caram haberet, facere ægrè, credibile enim eſt, iniquiſſimo hãc tuliſſe animo, quòd tanti regis amplexus cùm connubio pictoris cogeretur, nuptijsque commutare. Narrantur inſuper multa documenta alia ab eodem Alexandro in Apellem nauatæ beneuolentiæ, ſed, quanti hunc ille fecerit, edictum apertè indicat, quo ſanxit, ne vlla, niſi eius, ſe auderet pingere manus. Poſſem hic exponere, quanta cum laude, atque admiratione quaſi totius orbis multi pictores nobiles inter ſe certarint de palma, poſſem narrare, quanta cum cæremonia anti-
qui

qui imperatores triumphos decorarint suos picturis, dedicarintqúe has in locis publicis, &, quàm carè eas emerint, possem dicere quosdam antiquis temporibus inuentos esse artifices, qui à se picta simulachra omnem pretij magnitudinem credentes superare ea non vendiderint, sed, quibus voluerint, donarint, possem loq; de pictura Protogenis tanti putata, vt, cùm Demetrius obsideret Rhodum, possetqúe potiri oppido, si id inflammaret parte, qua illam sciebat positam, vnius tabulæ conseruandę cupiditas ab expugnatione totam vrbem liberaret, possem commemorare Metrodorum philosophum, eundemqúe pictorem præcellentissimum ab Atheniensibus missum L: Paulo, vt liberos eius institueret, triumphumqúe ornaret coloribus, possem multos celebres ostendere authores hac de arte scriptos edidisse libros, ex quo est perspicuum, quanti eà fuerit apud antiquos, sed nolo in his latius sermonem diffundi nostrum. Hoc nunc dicere est satis, aulico scientiam conuenire pingendi quippe

rem

rem honestam, & vtilem, pretiosámq; habitam illis temporibus, quibus multò maior fuit, quàm nūc est, hominum virtus, &, vt alium vel vtilitatis, vel voluptatis non præberet fructum, ad iudicandam eam valere antiquarum, & recentium statuarum, vasorum, ædificiorum, omne genus, ex omnique materia scalptarum, & in ea incisarum imaginū, rerumq; similium excellentiam, ad pulchritudinem item intelligendam tum delicatarum facierum, tum aptè, & concinnè coagmentatorum membrorum omnium in corporibus non hominum solùm, verùm etiā cæterorum animantium viuentiū. Considera igitur, quantæ voluptatis effectrix sit facultas pingendi, considerentque idem illi, qui pulchritudinis muliebris ita gaudent aspectu, vt esse sibi videantur in cœlo, quantumuis nesciant pingere, quod si facere scirent, gaudio profecto, & læticia perfruerentur maiore, quoniam, quæ mouet hac, afficitque ipsorum animos, longè perfectius intelligerent pulchritudinem. Hic Cæsar Gonzaga, ego, inquit ridens,

dens,

dens, non iam ſum pictor, attamen ſcio certò, cum fœminam quandam video, voluptate me perfundi multò maiore, quàm diuinus ille, ſi à morte excitatus eandem videret, perfunderetur Apelles, quẽ tu paulò antè nominabas. Tua, inquit Comes, voluptas nõ tota ex mulieris, quam ais, manat pulchritudine, ſed quiddam ex illa inclinatio animi ſibi vendicat, qua fortè in hanc propendes, cùm enim in eam primùm conieciſti oculos, milleſimam partem, ſi verũ fateri vis, nõ ſenſiſti voluptatis, qua poſtea tibi viſus es frui, quanuis eadẽ, qua nunc eſt, pulchritudine tunc fuerit prędita, quarè comprehendere potes cogitatione, quantò plus animi tui inclinationi, quàm ipſius formoſitati, acceptũ ferre voluptas debeat tua. Verum eſſe, inquit Cæſar, quod ais, non ſanè nego, ſed perinde, vt voluptas ex amore, ita amor ex pulchritudine naſcitur, poteſtque dici, ex pulchritudinis velut agro voluptatis quaſi fructus vtique demeti propterea. Amoris, inquit Comes, in animis noſtris ſuper pulchritudinem res

efficientes

efficientes ſæpe ſunt plures mores, prudentia, ſermo, geſtus, milleque (quibus ipſis tamen etiam pulchritudinis fortè poſſet quodammodò imponi nomen) aliæ, in primis verò, qua nos cõplectuntur alij, caritatis ſenſus ita, vt ſine formoſitate ea, de qua tu Cæſar loqueris, exiſtere poſſit quidã amoris ardor, ſed ille huius quaſi feruor, quem tanquam radijs quibuſdam porrectis pulchritudo duntaxat efficit corporis, ſine omni dubitatione longè iucundior eſt hanc intelligenti magis, quàm intelligẽti minus. Quarè, vt, vnde huc deflexi, eo reuertar, multò magis Apelles, quàm Alexãder, gauiſus mihi fuiſſe videtur Campaſpes contemplans pulchritudinem, facile enim eſt creditu, ex hac vna illius amorem natum fuiſſe in vtróque, fortéq; idcirco eadem hac frui eum, à quo perfectius ipſam, pleniúſq; intelligi poſſe putaret, Alexandrum voluiſſe. Quinque illas virgines ignoras, quas ex cunctis Crotoniatis delegit Zeuſis, vt omnium corpora tanquam exemplaria ſibi proponeret ad vnum excellẽtiſſimæ pulchri-

pulchritudinis muliebris pingendum ſimulachrũ, à multis poetis celebratas eſſe laudibus propterea, quòd ab eo eſſent probatæ, qui intelligentiſſimũ pulchritudinis iudicium, veriſſimumq́; habere debuiſſet? Ibi Cęſar oſtendẽs, nondum ſibi factum eſſe ſatis, pertinaciusq́; negans, quenq̃ vllo modo ex contemplatione, quam dixerat, fœminæ tantã poſſe voluptatem capere, quãta ad ſenſus ſuos cum ſuauitate afflueret, iterũ Comiti ordiebatur aduerſari, cùm ecce ingens pedum crepitus, hominumq́ue clarè loquentium ſtrepitus audiebatur. Ad quem ſe conuertens cuncti flãmis viderunt tedarũ colluſtrari fores, agnoueruntq́; has inſequentẽ aulæ præfectũ choro comitatum multorum hominũ nobilium, cum quibus is pontificẽ quadam deduxerat itineris parte, reuerſuſq́ue in limine ſciſcitat⁹ erat domus, ecquonam ludo Dux traduceret tempus, acceperatq́;, onus impoſitũ eſſe Comiti Ludouico informandi aulicum perfectum, proptereaq́;, quantùm potuit, feſtinauit, vt partem ſaltẽ audiret ſermo-

nis præclari. Ac repente Duce salutata, cœtuq́; toto, qui venienti ei assurrexerat, iterum cōsidere iusso assedit, quemadmodùm cæteri, ipse etiam in circulo, atq; ambitu, nōnulliq́; simul eius comites, inter quos erant Phœbus, & Gerardinus Marchiones Ceuani fratres, Hector Romanus, Vincentius Calmetta, Horatius Floridus, & cōplures alij, cūq́; fortè silentiū esset cunctis, plus nimiò sanè, inqt ipse, aduentus noceret meus, si finem afferret pulcherrimo sermoni, cuiusmodi existimo inter vos hactenus habitum, quarè conficite hunc quæso, nec in me estote tam iniuriosi, vt me, simulque vos ipsos velitis fructu carere suauissimæ voluptatis. Imò, inquit Comes, omnibus iam puto multò debere esse gratius ipsum tacere, q̃ loqui, quoniam, cùm dicere meū sanè hoc vespere magis fuerit, q̃ aliorum, defessus equidem sum fando, credoq; item alios oēs esse audiendo, siquidem nihil ediderim hoc conuentu, & corona dignum, neq; ad rei, de qua verba facienda mihi fuerunt, magnitudinē parem, & æqualem attule-

attulerim orationem, qua cum parũ satisfecerim mihiipsi, minus ea me arbitror satisfecisse alijs, debesq́; in felicitatis numerare præfecte loco tu, quod adueneris huic sermonis parti imposito quasi fastigio, & fiet perbenè, si aliquis nunc vicarius succedet muneri meo, vt partes eius exequatur cæteras, scio .n. neminẽ esse in consessu hoc nostro, qui nõ multò id facere possit præclarius, quàm possem facere ego, quantumuis iter quasi cuperem cõficere instituti sermonis, cùm de via (vt dixi) iam langueam. Minimè gentium, inquit Iulianus, feram, vt me fraudes debito. Et quonam, inquit Comes, debito? Ostensurum te, inquit Iulianus, mihi recepisti, quomodò aulicus rebus, quas ipsi dixisti conuenire, deberet vti, quod si feceris, certò scio, & præfecto te facturum gratum. Erat hic iuuenis, sed intelligentia præditus, & iudicio tanto, quantum in iuuenilem videretur non posse cadere ętatem, elucebatq́; in cunctis eius motib. cum magnitudine animi incredibilis quædam vigentis cõiuncta vis ingenij, ex qua tanquam verissima ex

prædictione facilè cognosceretur summæ, excellentissimæq; virtutis diuinit⁹ ipsi despõsa, & destinata laus, itaq;, si restat, inquit, vt totum hoc, quod Iulian⁹ ait, dicatur, equidẽ satis mihi videor venisse in tẽpore, si audiero enim, ad quẽ modum aulicus rebus se decentib. debeat vti, ipsas etiam res audiã decentes, vnoq; tempore & quæ hactenus dixisti Comes, &, quæ deinceps es dicturus, cognoscam coniunctè, quarè, ne refugias oro à debito hoc soluendo toto, cuius te iam liberasti parte. Debitum, inquit Comes, soluendum mihi esset nõ sanè tantum, si hoc aulicum formandi ęqualiter in nos distributum esset mun⁹, sed erratum à Duce est, ꝙ imperium in nos suum dedit fœminæ, quæ laborem hũc vni imponens totum nimiùm herculè ei fuit grauis, simulq; Aemiliam aspexit ridens. At hæc, vni me fuisse grauem, inquit, non deberes Comes queri, quia tamen id facis licet iniuria, ex hoc tibi assignati muneris honore, quem laborẽ tu appellas, quiddam sanè decerptum conferetur in alterum, simulq; ad Federicũ

se

ſe conuertens Fregoſiũ, tu, inquit, princeps nobis extitiſti de aulico inſtituẽdi ſermonis, quarè par eſt, huius à te quoque proficiſci partem, eaq́; in deſiderio explendo cõſumetur Iuliani. Fac ergo, vt, ad quem modũ, qua ratione, & quo tempore rebus illis laudabilibus, quas doctore Comite conuenire ſibi hactenus didicit, vti aulicus debeat, te nunc diſcat magiſtro. Si volueris Aemilia à rebus, inquit Federicus, earumq́ue vſu laudabili in aulico modum, rationem, tempusq́ue ſegregare, ea, quę natura copulauit, fruſtra conaberis diuellere, quoniam hæc ipſa res, & rerũ vſum laudabilem efficiũt. Quarè, cùm tanto orationis flumine hactenus Comes excurrerit, ſteteritq́; pulchrè hoc ipſum etiã, quod modò dixi, attingens, ſitq́ue iam diu ſecum meditat⁹, quomodò aulicũ, quẽ inchoauit, perficiat, par mehercule eſſet, quod inſtituit, illũ abſoluere, quaſiq́ue in ſtadiũ ingreſſum decurrere ad calcem. Fingas, inquit Aemilia, te Federice eſſe Comitem, dicaſq́ue, quod illũ putes velle dicere, & nihil erit, qđ deſi-

derabitur. Tum Calmetta, quoniã, inquit, ad multam noctem vestra sunt ꝑducta colloquia, ne cælare Federic⁹ nos possit, quæ sapit, excusationemqúe, si id faciat, à breuitate mutuari tẽporis, differendam puto hanc partem sermonis in crastinum, exiguumqúe, quod reliquũ habemus, spatium in oblectamentũ aliquod insumendum aliud sine ambitione. Cui postq̃ omnes essent assensi, Margaretæ, & Constantiæ Fregosiæ, vt saltarent, Dux mandauit. Cõfestimque Barletta suauissimus musicus, idemque pręstantissimus saltator, q, vt tota aula lætitia semper personaret, faciebat, admotione digitorum ex neruis sonos musicos cœpit elicere, illæque se prehendentes manibus cùm semel, atque iterũ venustissimè tripudiassent, singularíque voluptate affecissent spectantes, & pars magna esset iam noctis consumpta, Dux surrexit, eáque honoratè salutata cubitum cuncti discesserunt.

DE

DE DIVO MAXIMILIANO II. LAVDATISSIMO CAESARE IDEM RICIVS.

MOre patrum regem legerunt Maximilianum
Sarmatici proceres, ſed ab his ſeceſſio facta
Paucorum fuit, heu odium, & quos liuor adegit,
Vt ſibi neſcio quem mallent dominum eſſe Batorum.
Multa reluctantis patriæ cui tradere habenas
Dum poſſent, alteq; ipſo regnante volare,
Haud veriti auxilium ſunt Chriſti accerſere ab hoſte,
Semen & exoriturí iterumq;, iterumq; tumultus
(Dij faciant, errem) Europam diſpergere in omnem,
O' audacia perpetuo execrabilis æuo,
Eſſe diu ſuperi quam non patientur inultam.
Illum igitur contra maiorum ſcita creatum,
Regio & impoſitum ſolio, ſceptriq; potitum
Cùm reſciuiſſet, voluebat plurima ſecum
Cæſar, & imperij ordinibus de more vocatis
Pandebat, quæ rerum eſſet fortuna ſuarum,
Conſilium poſcens, quid facto opus eſſe putarent.
Ardua vt in re fit, ſtudia in contraria primùm
His ſciſſis, vno at tandem perhibentibus ore,
Quòd pro tempore præſtaret componere litem,
Viſus turbari eſt haud cordatiſſimus heros,
Pauca ſed hæc nato. Tibi mente repoſta ſit alta
Prauis artibus intercepti iniuria regni,
Vlciſci dum tempus eam ſinet, interea ipſe,
Vt nobis illud, qui præbuit, afferat idem,
Flectere quando homines nequij, flexum ibo tonantẽ,
Dixit, & è terris eſt ad ſupera alta profectus.